342 19

DECIMA
CLERI SECULARIS
IN REGNO POLONIÆ
DEFENSA,

CONTRA EXEMTIONES
Patrum Societatis.

35-3-E-15

PER

JOANNEM MARKIEWICZ
J. U. D. Canonicum Poſnanienſem.

PARISIIS,
M. DC. XLIV.
Cum approbatione.

35-3-E 15

Ne in Polonia pro Iure noſtro alicui liberiùs ſcripſiſſe videremur, opportunum fore cenſuimus, præmittere hîc aliqua ex Decretis Eccleſiæ Gallicanæ, quæ ſunt Tenoris ſequentis.

De Decimis. Cap. XIX.

SCitis, quòd omnium malorum radix eſt cupiditas: publicè tamen dicitur, & nos id ipſum cum lachrymis recenſemus, quòd uſque ad Congregationes veſtras auſa eſt irrumpere illa tranſgreſſionis mater, magiſtra nocendi, primipilaria iniquitatis, & Auriga malitiæ, ſicaria virtutum, ſeditionis origo, fovea ſcandalorum. *& infrà.* Vota & linguæ omnium in veſtræ ſanctitatis præconium laxarentur, niſi raperetis quod Alienum eſt, niſi Clericis Decimas auferretis. Hæc eſt conjunctio ſatis modica, ſed quæ vitam veſtram non modicè dehoneſtat, &c. *Ex Decretis Eccleſiæ Gallicanæ, lib.* 6. *Tit.* 8.

De Privilegiis & Diſpenſationibus.
Tit. 2. Cap. I.

QUæ eſt hæc injurioſa immunitas, ut exemti ſitis à Decimarum ſolutione, quibus obnoxiæ terræ erant, antequam veſtræ eſſent? & quæ ſolutæ ſunt hactenus Eccleſiis, non perſonarum obtentu, ſed Territorii ratione. *Et infrà.* Non ponimus os noſtrum in cœlum, nec de Facto Summi Pontificis diſputamus. Sed ſi D. Papa indulgentiâ ſpeciali quandoque privilegiavit vos, dum ordo veſter in paupertate gaudebat, dum in uſus

egentium ſuæ tenuitatis viſcera liberaliter eſſundebat, potuit tolerari ad tempus, licet in communem redundaret injuriam, quod cauſsâ neceſſitatis fuerat introductū. Nunc autem, quando veſtræ Poſſeſſiones multiplicatæ ſunt etiam in immenſum, Privilegia hęc potius Ambitionis, quàm Religionis inſtrumenta cenſentur. Quicquid indulgeant Privilegia Romanæ Eccleſiæ, vobis expedire non credo, contra conſcientiam veſtram quod alienum eſt uſurpare. *Et infrà.* Cum Dominus præcipit Decimas ſolvi, quis contra ejus præceptum poterit diſpenſare? Ubi divina & humana juſſio ſibi invicem contradicunt, obediendum eſt Deo magis quàm hominibus. Cúmque ſint duæ leges, exterior & interior, interior ſemper præjudicat, quodque puritas conſcientiæ dictat mihi, exteriori præcepto fortius eſt, & omnem indulgentiam alienæ diſpenſationis evacuat.

Ex Cod. lib. Eccleſ. Gallic. Cap. III.

NUllam ob Cauſſam Papa diſpenſare poteſt de eo, quod eſt Iuris Divini & Naturalis, neque ea de re, cujus gratiam facere ei per Concilia non licet.

Io. Gerſon Serm. coram Alexandro Papa. Cap. IV.

LEges rectè latas quantâlibet importunitate petentium fatigeris, nunquam diſpenſabis, niſi aut neceſſitas urgeat, aut communis provocet utilitas. Alioqui fuerit potiùs crudelis diſſipatio, quàm juſta diſpenſatio. Cavebis diſpenſationem ipſam lege communiorem facere, ne turpe ſit, ſi regulam ſua vincat Exceptio. *Et hæc omnia deſumta ſunt ex Decretis Gallicanæ Eccleſiæ, autore Bochelio, lib.* 8.

Illuſtria

Illuſt^mis & Reverend^mis Dominis, Dominis

NUNCIO APOSTOLICO, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, eorumque VV. Capitulis, Cathedralibus, & Collegiatis, Abbatibus, Præpoſitis, Parochis, totique Provinciarum Poloniæ, & M. Ducatus Lituaniæ Clero, perpetuam Felicitatem.

PRæjudicioſam vobis, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi & admodùm Reverendi Domini, S. Rotæ Romanæ Sententiam, in Cauſſa Decimarum, cum Plebano in Golamb, ad inſtantiam PP. Soc. promulgatam, tantiſper ſilentio præteriri, viſum eſt mihi, Majoribus Prælatis non exiguum dolorem; minori verò Clero, damnum, & injuriam irreparabilem afferre. Cui malo præcavendo, cum deſiderarem, ut hæc controverſia, ab aliquo ſolidioris Doctrinæ Viro, ad meliorem Curiæ Romanæ informationem, & noſtri Iuris, juxta mores, & inſtituta Patriæ, defenſionem, elucidaretur; minimè periculo-

ſam moram, in tam contagioſo Malo, diutius ferre potui, quin meam tenuitatem opponerem, ad communem injuriam pro poſſe meo repellendam: à Natura ipſa commonitus, Neminem debere cum jactura alterius locupletari. Cum teſte Cicerone: Detrahere aliquid alteri, & Hominem Hominis incommodo, ſuum augere commodum, magis ſit contra Naturam, quàm Mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. *Permittit Seneca Philoſophorum Princeps:* Viris ſapientibus amplas Opes, ſed nulli detractas, ſine ſordidis quæſtibus, ſine cujuſquam injuriâ partas, quarum tam honeſtus ſit Exitus, quàm Introitus, quibus nemo ingemiſcat, niſi malignus. Gloriari etiam vult Sapientem, ſi apertâ Domo, & admiſsâ in Res ſuas Civitate, poſsit dicere: Quod quiſque ſuum agnoverit, tollat. *Et exclamat:* O Magnum Virum, optimè Divitem, ſi Opus ad hanc vocem conſo-

Officiorum lib. 3. c. 3.

De Vita Beata c. 23.

conſonet! ſi poſt hanc vocem, tantumdem habuerit; *ita dicit:* Si tutus & ſecurus Scrutationem Populo præbuerit, ſi nihil quiſquam apud illum invenerit, quo manus injiciat, & quo condemnet denarium intra limen ſuum malè intrantem. *Sed an Societas eo modo cum Seneca velit philoſophari, non noſtrum eſt inveſtigare: neque opus eſt curioſius interiora penetrare. Cum enim ſolius meæ Civitatis Acta conſidero, etiam exteriora ſe produnt, & ipſa Parietum ſacra Antiquitas denunciat Alienum. Quod enim nunc Patres Poſnaniæ in ſuo ambitu poſſident, fateri neceſſe eſt, id ipſum olim Congregationis pauperum Sacerdotum fuiſſe, qui cum priſtinas ſuas domos circumſpiciunt, ingemiſcunt, dum non habent ubi caput reclinent, niſi victui annuo ſubtrahant, quo diſperſi Domicilium ſibi conducant. Prætereo ruſtica prædia, cum ampliſſimis latifundiis, ad uſum & commoditatem Urbanam, tam abunde eiſdem ſubminiſtrata antiquitus, ut nunc Epiſcopis ſucceſſoribus conqueri neceſſe ſit, de Majorum ſuorum nimiâ liberalitate.*

Unius

Unius Poſnaniæ exemplo, facilè poſſumus conjecturare, quid in aliis Provinciis, Clerus Polonius, pro ſuſtentatione Patrum, cum ſua diminutione expenderit. Sed cum hæc omnia, à pia facilitate Majorum noſtrorum profecta ſint, quid opus eſſet ea commemorare? niſi jam appareret, eos à Principio, Clerum noſtrum ſuis Domiciliis recepiſſe, ſuo Pane aluiſſe, & in ſinu ſuo foviſſe, quos in hodiernum uſque diem, ſuo damno, & injuriæ conſervaret. dum oblivione acceptorum, proteſtentur nobis Cupiditatem accipiendorum. Quid dico, proteſtentur? animi hoc indicium eſt. Decimis & alimentis noſtris jam manus injectæ, & de Facto contra nos proceſſum eſt, violatæ leges, ſpretæ Conſtitutiones ſunt. Unum reſtat ſolatium, quòd hæc, ſolis pro ſe Adverſariis informantibus, in Curia peracta ſint: Unde confidere debemus, productis Iuribus, & rationibus noſtris, S. Sedem Romanam, & ejus Auditorium, hæc omnia, in priſtinum ſtatum revocaturum. Quo Remedio ut nobis quamprimum afflictionem noſtram ſublevare liceat, veſtrûm, intereſt Illuſtrisſimi Antiſtites, Minorem Clerum ab hiſce injuriis vindicare: &

cum

*cum extra Patriam, Singulis, cum potentibus & ſagacibus Adverſariis, oneroſum ſit concertare, & in eo quidem loco, ubi ipſis ſummæ factiones, & firmiſſimæ præſidia, opus eſt, ut Univerſi Communi Cauſſæ ſuccurratis. Principiis ante omnia obſtandum: ſerò invaleſcenti Malo medicinam paraturi, niſi naſcens oppreſſeritis. Quo enim Iure pauperiori Clero Alimenta eripiuntur, eodem, vobis dormientibus, Poſſeſſiones, & Patrimonia veſtra auferri poſſe, magnum erit Argumentum, ſi perſpicaciori Mentis intuitu, hæc quæ peracta ſunt, conſideretis, dum injuriam nobis illatam, Privilegio Pontificio excuſant, & Decreto S. Rotæ defendunt; ac ſi iiſdem, tam ſacroſanctis Authoribus, cum damno, & injuriâ aliorum, diteſcere licuiſſet. Crimen eſt, eo Scelere (*ut Seneca talem Actum vocat*) ſanctitatem Pontificiam velle commaculare, & æquitatem ſupremi ejus Auditorii, hac injuriâ condemnare. Quod quàm ſit ab hiſce primariis univerſæ Iuſtitiæ Fontibus alienum, inferiora Argumenta indicabunt, & ſolidiora ingenia ad Communem defenſionem provocabunt. Vos hæc interim, contra vim Ad-*

De Benef. lib. 4. c. 37. & 38.

verſariorum primo impetu emiſſa jacula, legendo conſiderate, & unà mecum, Iura & Immunitates Cleri veſtri, conſtanter & viriliter defendite: ſcituri, plurimum obſtaculi quibuſvis injuriis poſituros, ſi omnes ex vobis, qui injuriâ affecti non ſunt, æquè doleant, atque hi, qui affecti ſunt. Quiſquis enim violat Leges, non unum Civem lædit, ſed totam Rempublicam. Quod ſi aliis læſis, aut negligentes quieſcimus, aut irreſoluti diſſimulamus, impunitas Cupiditatem ad majora invitabit. Poſnaniæ, 1. Ianuarii 1642.

Omnium humillimus

Servus,

IOANNES MARKIEWICZ. I.U.D.
Canonicus Poſnanienſis.

APPROBATIO OFFICII SENENSIS.

Imprimatur. Senis, die xxviij. Februarii M.DC.XLIII.

Annibal Melarius, Vicarius Generalis Senenſis. M.P.

Fr. Franciſcus Brunettus, Vicarius Generalis Sancti Officii Senarum. M.P.

AD DEFENSAM ANTE OMNIA ſcire pertinet, Cui, & à Quo, debeantur Decimæ, ex Debito Reali.

Hæc eſt Dei juſtiſſima conſuetudo, ut ſi tu illi Decimam non dederis, tu ad Decimam revoceris: Hanc enim nolle tribuere, ſterilitatis eſt, ſeipſum condemnare. Iuxta SS. Canones. *Ecce annus expletus eſt, & nihil in meos theſauros, ſed in veſtra horrea comportâſtis: & pro Decimis, & primitiis, quæ parva erant, ſi à vobis darentur, Ubertatem poſſeſſionum veſtrarum, & omnem frugum abundantiam perdidiſtis. Ut autem ſciatis, me hoc iraſcente perfectum, quia fraudâſtis me parte meâ: hortor vos, atque commoneo, Ut inferatis Decimas in horrea, & habeant Sacerdotes atque Levitæ, qui mihi miniſtrant, cibos: & probate me; ſi non tantas pluvias effudero, ut cataractæ cœli apertæ eſſe credantur, & effundam vobis benedictionem uſque ad abundantiam, &c.* S. Hieron. in comm. ad c. 3. Malachiæ. & S. Aug. Serm. 219. de Tempore. 16. q. 2. c. Revertimini. 1.

Sed in his immorari nolo, hæc enim antiquæ legis Divina præcepta, jam nunc multos Chriſtianos, non tantopere moviſſent, niſi lex humana eiſdem ſtimulos addidiſſet. 2.

Ideo Iure Poſitivo non ampliùs in libero conſiſtunt arbitrio, ſed ex Debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas invaſit. 16. q. 1. c. Decimæ. 3.

Cui ſacri Canonis autoritati Concilium Trident. innixum ita diſponit. *Non ſunt ferendi, qui variis artibus, Decimas Eccleſiis obvenientes, ſubtrahere moliuntur: aut qui, ab aliis ſolvendas, temere occupant, & in rem ſuam vertunt: Cum Decimarum ſolutio debita ſit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur S. Synodus omnibus, cujuſcunque gradûs & conditionis ſint, ad quos Decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quæ de* 4.

p. 2. *Jure tenentur, in poſterum Cathedrali, aut quibuſcunque aliis Eccleſiis, vel Perſonis, quibus legitimè debentur, integrè perſolvant. Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plenâ reſtitutione ſecutâ, abſolvantur*, Seſſ. 25. c. 12. De Reformatione.

5. Hoc jus decimandi, ad Epiſcopum uti, Principalem Miniſtrum ſingularum Parochiarum, & ipſum Parochum pertinere, manifeſti juris eſt. *Filluc. Tract.* 27. *part.* 2. *c.* 9. *n.* 206. Poſt parochos deberi Capitulis, & eorum Clericis præbendatis, habentibus Beneficia fundata ex fructibus Decimarum. *Id. eod. loco n.* 209. *allegans. c. ex parte* 2. *de Decimis*. Et rationem aſſignat generalem, quia hi omnes habent proprium jus ſupra decimas correſpondentes ſuo Beneficio. Unde ejuſmodi debitum non ſolùm pertinet ad Religionem; ſed etiam ad Iuſtitiam. Et quemadmodum debebantur ex Iuſtitia Eccleſiæ, ita quia Eccleſia erigendo Beneficia, tranſtulit in Miniſtros hujuſmodi jus, ſequitur etiam ipſis Beneficiariis deberi decimas ex Iuſtitia. An autem etiam debeantur Clericis divitibus, reſpondet affirmativè; ſi enim miniſtrent, debentur illis æquè, ſicut pauperibus. Ut enim dicit S. Paulus. *Nemo militat ſuis ſtipendiis unquam.* Et per accidens eſt, quòd ſint divites. Eodemque modo, debentur etiam malis Clericis, propter ſervitium, quod exhibent. *Ex c. Tua nobis. De Decimis. Filluc. Soc. Jeſu Theol. tract.* 27. *part.* 2. *c.* 9. *n.* 209. *Toloſan. Syntagm. Iuris univerſ. part.* 1. *De Rebus, c.* 22. *n.* 6.

6. Ad præſtandas iſtas decimas, ex debito reali, id eſt, orto ex Re, ante Decimis obligata, quàm ad alterius poſſeſſionem deveniret, omnes omnino, cujuſcunque Ordinis, Religionis, ſtatûs, ac dignitatis perſonæ, *etiam ipſe Summus Pontifex*, Epiſcopi, Religioſi obligantur, niſi vel præſcriptâ conſuetudine, vel Pontificiâ diſpenſatione, aut Privilegio eximantur. *Laiman. Soc. Ieſu, lib.* 4. *tract.* 6. *c.* 3. *n.* 5. *adducens S. Thomam. art.* 4. & *D. D. in c. de*

terris. de Decimis. & *in c. Quanto. Ubi Abb. n, 4. de Iudæis* . dans rationem , Quia poſtquàm diœceſes in parochias diviſæ fuerunt, prædia Parochianorum , intra quamlibet parochiam ſita, obligationem acquiſiverunt, decimæ partis fructuum, ex eis Eccleſiæ parochiali inferendæ, eamque obligationem ſecum ad quemlibet poſſeſſorem deferunt , quia res tranſit cum ſuo onere. *Id. Laiman. eod.loco.* p. 3.

7. Et de iis fructibus, qui ex aliquo prædio producuntur, ita procedit, ut Barboſa *Iur.Eccleſ. lib. 3. de Decimis. c. 26.* dicat , Ipſam terram, de fructibus ſuis, decimam præſtare obligatam eſſe, & in illa hoc onus ineſſe; ac ſubinde , à quocunque poſſeſſore de illis decimam eſſe perſolvendam. *juxta c. A nobis.24.de Decimis.* & *idem ſic reſolvit gl.V.Negotio.c.Decimæ.16.q. 1.*

8. Unde ſi aliquis habeat plures poſſeſſiones , aut domicilium mutet, licet videri poſſit, quòd eas debeat Eccleſię domicilii, quia ibi recipit Sacramenta, & omnia Miniſteria, ratione quorum debet decimas. *Ut latè argumentatur Gratianus. 13.q.1. ferè per totam.* Quam quæſtionem adeò difficilem judicavit Alexander 3. *in c. Cum ſint. de Decimis.* Ut conſuetudinem conſulendam eſſe dixerit, nec aliter illam definiverit.

9. Nihilominus juxta certam & communem Reſolutionem D. Thomæ , Abulenſ. & aliorum Theologorum, Iuriſtarum , & Summiſtarum , concluſum eſt autoritate aliorum Canonum , Decimas prædiales ſolvendas eſſe illi Eccleſiæ, in cujus Parochia ſunt prædia. Quod latiùs deducit Suarez de Religione, *lib. 1. de Divin. cult. neceſſ. & decimis, c.21. n.4.*

10. Fuitque hæc inſtitutio magnâ ratione facta in hunc modum , ut Iura Eccleſiarum , quoad fieri poſſet , firma & immutabilia permanerent. Nam ſi prædiorum Iura transferrentur cum perſonis , infinita eſſet confuſio, cùm perſonæ ipſæ quotidiè mutentur, vel prædia in hoc territorio exſiſtentia vendantur , donen-

p. 4: tur, aut legentur hominibus in alia Diœceſi, vel Parochiâ degentibus. Unde fieret, ut proprietates Eccleſiarum eſſent permixtæ, nam hodie ad hanc, cras ad illam Eccleſiam pertinerent; quam rationem attigit Alexander 3. in d. c. cum ſint homines, dicens: *Difficile nimis videtur, quòd una Eccleſia in Epiſcopatu alterius accipiat decimas, cùm ex hoc Epiſcopatuum fines confundi non immeritò videantur.* Suar. loco ſuprà citato. n. 5.

11. Illud mirum alicui fortaſſis videretur, etiam ipſum Summum Pontificem decimas ſolvere obligatum eſſe: Ut aſſerit *Laiman, lib. 4. tract. 6. c. 3. n. 5.* Quod clariùs exponit Fillucius, ita dicens. Ratione prædii, in quo ſit onus ſolvendi Decimas Eccleſiæ, & debiti realis, poſſe Papam obligari ad ſolvendas Decimas. Ratio eſt, quia poſt diviſionem Diœceſum, & aſſignationem prædiorum, cuique Eccleſiæ, habent ejuſmodi prædia onus Reale, & Debitum, ut ex ipſis ſolvatur Decima. Si ergo Papa titulo aliquo ea acquirat; tranſibunt ad ipſum cum ſuo onere: & licet ſit ſupremus earum diſpenſator, atque adeò poſſit ſe eximere ab earum ſolutione, requireretur tamen juſta cauſa, cùm non ſit Dominus. *Fillucius, tract. 27. part. 2. c. 8.*

12. *n. 172.* Secutus hac in parte Suarez, qui ad eundem ſenſum videtur plus dicere, ita concludendo: Ergo ſi Pontifex quocunque temporali titulo acquirat, vel poſſideat poſſeſſiones illas ut proprias, acquirit illas cum ſuo onere; Ergo tenetur ex illis ſolvere Decimas, illis Eccleſiis, quibus antea debebantur, quia res tranſit cum ſuo onere. Et licet Summus Pontifex ſit ſupremus diſpenſator Decimarum, & Iurium earum, non eſt tamen Dominus, & ideo non poteſt illas arbitrio ſuo uſurpare. *Suarez de Religione, libr. 1. de Div. cult. neceſſ. & decimis, cap. 17. n. 10.*

13. Hæc obligatio ipſius Summi Pontificis, poſſet facere Patribus Societatis verecundiam, & conſcientiam, ut Rei, quæ ad

ipſos

ipſos neceſſariò tranſivit cum ſuo onere, non opponant privilegium Exemtionis; de cujus cauſa & origine videamus. *p.* 5. 349

Origo Exemtionum à ſolutione Decimarum.

SCire cupienti, quid antiquitùs Eccleſia circa Exemtionem Decimarum ſtatuerit, videndus eſt Rodericus, *quæſt. Regul. tom.* 2. *q.* 44. *de Decimis*, *art.* 4. ſub titulo, *Vtrum Religioſi ſint à Decimis exempti.* Ubi optimè ad noſtrum propoſitum diſtinguit tempora. 14.

Primum itaque tempus aſſignat, quando ut plurimum Religioſi erant laïci, quod probat illo Canone. *Alia cauſſa eſt Monachorum, alia Clericorum. Clerici paſcunt oves, ego paſcor: illi de Altario vivunt; mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero.* Ubi gl. Munus decimam interpretatur, 16. q. 1. Et ideo decimas ſolvebant, quia paſcebantur cibo ſpirituali à Clericis, & Sacerdotibus. *Hoſtienſ. in c. Dudum. Conſ.* 2. *de Decimus.* 15.

Secundum tempus, dicit ſupradictus auctor, fuit Gregorii Papæ, prout inveniri teſtatur in Rubrica de Decimis, licet non ſit in Decretalibus impreſſis, ubi ſic cenſuit. *Statuimus, ut Monaſterium ex ſuis prædiis, nullo modo cogatur ſolvere decimas, quia ſi legitimè dandæ ſunt orphanis & peregrinis, indignum eſt, ut ab eis exigantur, qui propter, cujus ſunt decimæ, pauperes efficiuntur. Nam ſi pauperes Domini ſunt, hæreditas ejus pauperibus eroganda eſt, illis videlicet; qui pro illius amore, quæ poſſidere poterant, dimittunt, cúmque nudi poteſtati alterius ſe ſubdunt.* Et hoc eſt primum fundamentum Exemtionis, paupertas ſcilicet Religioſa. Quod idem autor explicat infra. *art.* 5. *ad finem*, dicens. Pro quorum privilegiorum explicatione, notandum eſt, quod ait Paulus; per Bonifacium VIII. fuiſſe declaratum, quòd Monaſteria Monialium, & aliorum Religioſorum, quorum reditus, & Proventus 16. 17.

ſunt

p. 6. ſunt adeò tenues, & exiles, quòd illis ſuſtentari non poſſunt, ſed pro habenda vitæ ſuæ ſuſtentatione, debent publicè mendicare, non tenentur adſolutionem decimæ Papalis, & hanc declarationem etiam refert & ſequitur Gaſpar. *de ſenten. excom. Conſ.* 9. & ait Barthol. Velencius *de Charit. ſubſ.* quòd fuit ſatis æqua illa deciſio; quia, agris noſtris ſitientibus, alios irrigare non debemus. *l. Præſes. C. de ſervit.*

18. Tertium tempus erat, quando Monaſteria incipiebant eſſe damnoſa Eccleſiis, cùm omnes & ſinguli Monaſteriis paſſim Bona donabant, ideo in Concilio Moguntino ſtatuit Papa Paſchalis, ut Religioſi communiter viventes, decimas de ſuis tantùm laboribus, ſeu nutrimentis, non ſolverent.. *Ut cap. Quæſti, & ſequent.* 16. *qu.* 1. Nam per hoc conſulebatur Religioſis ſacerdotibus, qui divinis & contemplationi vacabant. Monachis etiam laicis, qui ſuis laboribus hæc prædia colebant, ne fortè in Monaſteriis eſſent otioſi. Ita refertur in quadam decretali, & hoc juſtâ ratione ſtatutum fuit, & Privilegium illis conceſſum, id enim temporis non poterant eſſe in grave detrimentum Eccleſiis Parochialibus, quia ipſi multa prædia propriis manibus, non poterant colere, & rara erant Monaſteria. *Idem autor, eodem loco.*

19. Quartum tempus fuit, quando Monaſteria cœperunt creſcere, & Eccleſias multum gravare, ob id Hadrianus Papa, cujus decretalem non habemus, & teſtantur Hoſtienſis & Cardinalis. Solis Ciſtercienſibus, Hoſpitalariis, Hieroſolymitanis, & templariis, tanquam ferventioribus ad devotionem, & ad Dei ſervitium, indulſit, ut decimas prædiorum ſuorum, quæ propriis manibus, vel ſumtibus colunt, ſolvere non tenerentur. Quod teſtatur A-

20. lexander tertius ita reſcribens Terraconenſi Archiepiſcopo: *Ex parte tua ad nos noveris perveniſſe, quod Albi Monachi & Nigri, & quidem alii Religioſi, Eccleſias tuæ Iuriſdictionis reditibus decimarum,*

occaſione

occaſione Privilegiorum, quæ ſibi Romana indulſit Eccleſia, ſpoliare p. 7. præſumunt. Sanè nolumus te latere, quòd prædeceſſores noſtri omnibus Religioſis decimas laborum ſuorum conceſſerant; ſed prædeceſſor noſter Hadrianus, ſolis Fratribus Ciſtercienſ. Ordinis, & Templariis & Hoſpitalariis, decimas laborum ſuorum, quos propriis manibus, vel ſumtibus colunt, indulſit, cæteris verò, ut de Novalibus ſuis, quæ propriis manibus, vel ſumtibus excolunt, & de nutrimentis Animalium ſuorum, & de hortis ſuis decimas non perſolvant, quem ſumus ſuper his imitati. Quare hi, quibus hoc indultum eſt, hac occaſione, decimas de aliis rebus, Eccleſiæ ſuæ non poſſunt ſubtrahere, vel ſibi aliquid ulteriùs vendicare. c. Ex parte. de Decimis.

Quintum tempus fuit Generalis Concilii dicti Lateranenſis, 21. cui præfuit Innocentius tertius. Ubi Concilium videns, quòd multas Religioſi haberent poſſeſſiones, & Exemtione decimarum læderent Eccleſias, quibus debebantur, reſtrinxit Privilegia ad Poſſeſſiones, quas illo tempore Concilii habebant, & in futurum ordinavit, ut de terris acquirendis decimas perſolvant Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſolvebantur. *quod expreſsè poſitum eſt infra. n.* 28.

De Novalibus etiam habent Privilegium, quòd non ſolvant 22. decimas, ſi novale ſit proprium, & propriis manibus ad culturam redactum, & quòd de illo novali, ante Eccleſia nullum, aut modicum emolumentum recipiebat. Et hic eſt ſtatus Regulariũ, quantùm ad decimas ſecundùm Privilegia inſerta in Corpore Iuris. *Teſte Roderico eod.loco. ut ſup.allegante Rebuff.in tract.Nom.q.* 14.

Sextum & ultimum tempus eſt, quo Privilegia fuerunt con- 23. ceſſa Ordinibus. extra Corpus Iuris, per Bullas Pontificias. inter quos ſunt etiam Patres Ieſuitæ, de quibus hîc ſpecialiter in ſolo puncto decimarum videamus, omiſſis aliis, quæ ad præſentem materiam non pertinent. Quod punctum, de verbo ad verbum deſcripſi ex Deciſione Rotæ, 29. *Maji.* 1638. *coram Carrillo.*

p. 8. Primò enim, Paulus III. de anno 1549. conceſſit hujuſmo-
24. di Exemtionem Societati Ieſu, verbis ampliſſimis, & clauſulis prægnantibus, à ſolutione quarumcumque decimarum, prædialium, perſonalium, ac etiam Papalium, cum clauſula generali derogatoriâ, non obſtantibus conſtitutionibus, ac juramento, confirmatione Apoſtolicâ roboratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus. *adducens Gutier. Conſ.* 5. *n.* 2.

25. Secundo, Pius IV. confirmans, ſeu approbans, vel de novo concedens, quatenus opus ſit, prædictam Exemtionem à ſolutione decimarum, & quarumcumque impoſitionum; pro potiori cautelâ, univerſam Societatem Ieſu, omniaque & ſingula illius domus Probationis, & Collegia ubilibet exſiſtentia præſentia, & futura, eorumque perſonas, fructus, reditus, ac Proventus, etiam bonorum Eccleſiaſticorum, ſecularium & Regularium quorumcunque illis pro tempore unitorum, aliaſque res & bona, quæcunque exemit à quibuſcunque decimis etiam Papalibus, Prædialibus, Perſonalibus, quartis, medietatibus, & aliis fru-
26. ctuum partibus, ſubſidiis etiam charitativis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defenſione patriæ, & aliàs quomodolibet, ad inſtantiam quoque Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum pro tempore impoſitis, quamvis in illorum impoſitione caveatur, quòd nulla prorſus exemtio, cuicunque adverſus illas ſuffragetur; Cum clauſulis, quod de obreptione, ſubreptione, aut nullitatis vitio, ſeu defectu intentionis, quovis prętextu, quęſito colore impugnari non poſſent, cum clauſula ſublatâ, & de jure quæſito non tollendo.

27. Tertiò, felicis recordationis Gregorius XIII. prædicta privilegia confirmavit, & *c. Nuper.* De Decimis derogavit, cui uſque tunc derogatum non fuerat, prout requirebatur; attento quod in dicto Canone *Nuper.* exſtet Conſtitutio Conciliaris tenoris ſequentis.

Nuper

Nuper Abbates Ciſtercienſis Ordinis, ngenerali Concilio Congregati, p. 9.
ad commonitionem noſtram providè ſtatuerunt, ne de cætero fratres ipſi- 28.
us Ordinis emant Poſſeſſiones, de quibus Decimæ debeantur Eccleſiis; niſi fortè pro Monaſteriis noviter fundandis. Et ſi tales Poſſeſſiones eis fuerint piâ fidelium devotione collatæ, aut emtæ, pro Monaſteriis de novo fundandis, committantur aliis excolendæ, à quibus, Eccleſiis Decimæ perſolvantur. Ne occaſione Privilegiorum ſuorum, Eccleſiæ ulterius prægraventur; decernimus, ut de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamſi eas propriis manibus, aut ſumtibus excolant, Decimas perſolvant Eccleſiis, quibus ratione Prædiorum antea ſolvebantur, niſi cum ipſis Eccleſiis, aliter duxerint componendum. Et hoc ipſum ad alios Regulares, qui gaudent ſimilibus Privilegiis, extendi volumus; & mandamus, ut Eccleſiarum Prælati promtiores, & efficaciores exſiſtant, ad exhibendum eis, de ſuis malefactoribus juſtitiæ complementum, eorumque Privilegia diligentiùs & perfectiùs ſtudeant obſervare. Et hæc Concilium Lateranenſe præſidente Innocentio tertio, Pontifice Maximo.

Ex qua occaſione hujus tam ſancti Decreti, liceat aliquantum 29.
diſcurrere, & admirari. Boni Abbates ad publicam utilitatem, ultro ad ſolam commonitionem, ipſi ſibi ſtatuunt, ut eorum Privilegia non obſerventur in futurum, circa Exemtionem Decimarum, quia hoc erat Eccleſiis ſecularibus præjudicioſum, ideo ipſi ſibi imperant, ut in poſterum realiter ſolvantur Eccleſiis, quibus debentur. E contra Societas IESU, quod vidit, & legit, Abbates ultro remiſiſſe, & ex ſuis Privilegiis, tanquam utilitati publicæ damnoſum, exſtirpâſſe, & lege publicâ Ius Eccleſiarum aſſecurâſſe, hoc ſibi ad privatum commodum concedi petunt, & tam ſalutari Ordinationi Concilii univerſalis, derogari ſupplicant. Et hæc dicta ſint ſatis, ad modicum diſcurſum, & ad magnam admirationem.

Hoc itaque Decretum uſque tunc inviolatum annis 360. per- 30.

p.10. manſit, ut colligitur ex Rota, *Veneris* 29. *Maji* 1638. *coram Carillo.* Primus fuit Everhardus Mercurianus, Præpoſitus Generalis Societatis, immemor illius, *Nec damnoſa fiſco, nec Iuri contraria poſtulari oportere.* 25. *q.* 2. *c.* 14. qui ſupplicationibus ſuis effecit, ut anno 1578. Gregorius XIII. huic Univerſalis Concilii Decreto derogaverit. Ut videre eſt in ſuo Privilegio incipiente: *Paſtoralis Officii.*

31. Quod tale Privilegium, multos judices, & peritiſſimos Iuriſconſultos miratos fuiſſe teſtatur Rodericus, *Quæſt. Regular. tom.* 2. *q.* 44. *fol. mihi.* 102. *ad literam E.* adducens poſt ſe Henriquez *lib.* 7. *de Iud. c.* 27. *n.* 7. *a.* 5.

32. Credo miratos fuiſſe ex ea ratione, quia juxta Decretum Concilii Chalcedonenſis *c.* 1. *Quod à SS. PP. in unaquaque Synodo probatas Regulas, vel maximè cenſuit eſſe obſervandas.* 25. *q.* 1. *c.* 14.

33. Unde Damaſus Papa eorum obſervantiſſimus poſteris bonam monitionem reliquit, ita dicens: *Violatores Canonum voluntarii, graviter à Sanctis Patribus judicantur, & à S. Spiritu (inſtinctu cujus ac dono dictati ſunt) damnantur: quoniam blaſphemare Spiritum S. non incongruè videntur, qui contra eoſdem ſacros Canones, non neceſſitate compulſi, ſed libenter, ut præmiſſum eſt, aliquid aut protervè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumtio manifeſtè unum genus eſt blaſphemantium Spiritum S. quia ut jam prælibatum eſt, contra eum agit, cujus nutu & gratiâ Sancti Canones editi ſunt.* 25. *q.* 1. *c.* 5.

34. Veniſſet ſupplicans Pater Mercurianus ad illum Gregorium, aut Zachariam Pontifices, & ſuo ſenſu audiſſet, quod Primus Dominico Carthaginen. Epiſcopo, lib. 2. Indict. 10. Epiſt. 39. reſcripſit. *Hoc poſtpoſitâ dubitatione teneat, ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua jura ſervamus, nec cuilibet favente gratiâ, ultra quàm meretur, impertior, nec ulli hoc, quod ſui juris eſt, ambitu ſtimulante, derogabo; ſed fratres meos, per omnia honorare cupio,*

ſicque

ſicque ſtudeo honore ſingulos ſubvehi; dummodo non ſit, quod alteri ab p. 11.
altero, jure poſſit opponi. 25. q. 2. c. 8. Secundus verò Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo. *Hoc nullâ ratione concedi patimur, quod contra Eccleſiaſticam Regulam, vel Inſtituta Patrum eſſe monſtratur*, 7. q. 1. c. Petiſti. 35.

In eundem ſenſum Gelaſius Papa Epiſcopis Dardaniæ. *Confidimus, quòd nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, nullam magis exſequi ſedem præ cæteris oportere, quàm primam; quæ & unamquamque ſynodum ſuâ autoritate confirmat, & continuatâ moderatione cuſtodit*, 25. q. 1. c. 1. 36.

Et hoc Eccleſiaſticæ moderationi eſt omnino conveniens, ut quæ ordinata fuerint, vel rationabiliter deciſa, nullâ in poſterum debeant refragatione turbari. Gregorius Papa lib. 7. indict. 2. Epiſt. 60. 25. q. 2. c. 12. 37.

Quæ enim ad perpetuam utilitatem generaliter inſtituta ſunt, nullâ commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad Bonum commune ſunt præfixa, ſed manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres, nemo injuſtè uſurpet alienum, ſed intra fines proprios, atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine ſe exerceat charitatis. Leo Papa Anatolio Epiſcopo, ibid. 25. q. 2. c. 3. 38.

Dicent aliqui hæc Pontifices aliis imperâſſe, non verò ſeipſos obligâſſe; quibus reſpondet Urbanus Papa: *Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges, quod & nos non ſolùm non negamus, ſed etiam valde affirmamus. Sciendum verò ſummopere eſt, quia inde novas leges condere poteſt, unde Euangeliſtæ aliquid, & Prophetæ nequaquam dixerunt, ubi verò apertè Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes ſancti Patres, ſententialiter aliquid definierint, ibi non novam legem, Romanus Pontifex dare, ſed potiùs quod prædicatum eſt, uſque ad animam, & ſanguinem confirmare debet*, 25. q. 1. c. 6. 39.

*p.*12. Hæc aliquis ſubtilis Theologus in articulis fidei procedere
40. fortaſſis contendet, cui Zozimus Papa ſolvit difficultatem, ad Epiſcopos Narbonenſis Provinciæ ita ſcribens: *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt autoritas: Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reverentiam*, 25. q. 1. c. 7.

41. Cujus Leo Papa dat optimam rationem. *Ideo permittente Domino Paſtores ſumus effecti, ut quod Patres noſtri, ſive in ſanctis Canonibus, ſive in Mundanis affixere legibus, excedere minimè debeamus. Contra eorum quippe ſaluberrima agimus inſtituta, ſi, quod ipſi Divino ſtatuerunt Conſulto, intactum non conſervamus*, 25. q. 1. c. 16.

42. *Nam nimis aſperum eſt, & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacunque rationis excuſatione, & quæ bene ſunt ordinata reſcindere, & exemplo ſuo docere, cæteros ſua quandoque poſt ſe conſtituta diſſolvere.* Gregorius Bonifacio 1. Defenſori lib. 7. Epiſt. 17. 25. q. 2. c. 7.

43. Ex quibus patet, quòd contra ſtatuta ſanctorum Canonum, quibus ſtatus Eccleſiarum, vel confundantur, vel perturbentur, Privilegia ab Apoſtolico concedi non debent. Hanc ſibi facit conſequentiam Annotatio 25. q. 1

44. Quæ rationis & æquitatis Sanctorum Pontificum fundamenta, non ideo adduco, quòd negare intendam ſupremam in terra poteſtatem, rationabili de cauſa, urgente neceſſitate, aut ſtimulante publicâ utilitate, aliqua non poſſe immutare; hoc enim eſſet contra Religionem Polonam, quæ Sanctorum Pontificum rationabilibus Reſcriptis, reverentiam, & obedientiam ſemper proteſtatur: hoc tamen ſæpius admiratur, ad unam alicujus ſupplicationem, Privilegia Statum Eccleſiaſticum perturbantia, cum tantâ facilitate concedi, & Decretis Conciliaribus, cum præjudicio ipſius, libenter derogari, contra Canones ſupra-citatos. Cum tamen non ita facilè, ſed cum magna deliberatione,

etiam

etiam in rebus multò minoris momenti; id fieri conveniat. Ut *p.* 13. Gregorius, Aregio Epiſcopo Francorum, Dalmaticarum Uſum pro ſe, & ſuo Archidiacono poſcenti, ita reſcripſit: *Dignum erat, & Res deſiderata poſcebat, ut nos in multis implicitos Eccleſiaſticæ rationis conſideratio novum hoc, inconſultè, & ſubitò, non permitteret indulgere, idcirco poſtulatæ rei effectus prolongatus eſt.* Diſt. 23. c: Communis filius.

Apoſtolicæ enim Sedis ſententia, tantâ ſemper Conſilii moderatione concipi debet, tantâ patientiæ maturitate decoqui, tantâque deliberationis gravitate proferri, ut retractatione non egeat, niſi fortè ſic prolata ſit, ut retractari poſſit. Nicolaus Papa ad Ludovicum Regem Galliæ, 35. q. 9. c. Apoſtolicæ. 46.

Cujus Retractationis, aut moderationis ſufficientiſſimam dat rationem Gregorius XIII. ita de Pio Quinto, Anteceſſore ſuo, teſtatus. 47. *Demum animadverſo, quòd ea omnia, multis dubitationibus involuta, magniſque difficultatibus obſtructa, multas, magnaſque diſſenſiones, altercationes, & lites, inter Prædictos Locorum Ordinarios, & Fratrum ipſorum Ordines, non ſine gravi Divini cultûs, & animarum detrimento, ac Populorum ſcandalo concitaverant; contra, ac ipſe ſperabat, & præter ſuam exſpectationem: ut qui interdum conquereretur, multa aliter, alioq; ſenſu à ſe prolata fuiſſe, quàm literis expreſſa eſſent.* 48. *Cupiens his mederi incommodis, primùm illa omnia, quæ Regularibus aliorum ordinum, quàm Mendicantium, communicaverat, & ſecundùm præmiſſa conceſſerat, motu proprio reſtrinxerit. Deinde pleniùs providere volens prioribus literis, à ſe, quoad ipſos Mendicantes, magnâ in parte moderatis, omnes & quaſcunque alias literas, quæ de aliis Ordinibus, & Congregationibus, extra Mendicantium Ordines, de Obſervantia nuncupatos, emanaverant, omnino aboleverit; cauſſas omnes, jam de his, etiam in Romana Curia pendentes, ad ſe avocando, lites exſtinguendo, ac formatos ſuper illis proceſſus, lataſque ſententias annullando, quemadmodum aliis ſuis literis in Regeſtro proximè compertis, nunquam tamen publicatis,*

p.14. *blicatis, pleniùs continetur.* Gregorius XIII in Bullario. Bulla 8. §. 4. verſic. Demum. par. 2. Bullarii. fol. mihi 280. in novis. habetur etiam in Conſtit. Provin. lib. 5. fol. mihi 405. verſ. verbo Demum animadverſo.

49. Hoc teſtimonio, quod in literis S. ſui Anteceſſoris, multa contra mentem ipſius, & aliter, quàm ipſe ordinaverat, in ſcriptis edita ſunt, ſufficienter nobis videtur optimus Pontifex, hoc ipſo & ſuum Privilegium, Patribus conceſſum, juſtificâſſe, aut potiùs excuſâſſe.

50. Nec mirum, de iis; quæ præter ſuam intentionem acciderant, diſſenſionum & ſcandali materiam præbuerant, Pium Quintum conqueſtum eſſe: Cum in Reſcriptis Apoſtolicis nihil debeat vitii reperiri, nec aliquid reprehenſibile. Ut optimè *gl V. Decoquitur*, 35. *q.* 9. *c. Apoſtolicæ.* Poſſe enim injuſta reprehendi, viſus eſt innuere Innocentius Papa III. ſcribens Archiepiſcopo Mediolanenſi: *Cum ſi literarum noſtrarum ſeriem attendiſſes, nihil inveniſſes in eis, quod debuiſſet tuum animum offendiſſe*, c. Cum adeo, de Reſcriptis, & gl. ibidem. verbo moderemur.

51. Sed hæc faciant alii, nos reverentiali cultu ſacram Sedem venerando, admittimus reſponſionem Annotationis ſupra-citatæ 25. q. 1. auctoritatem Pontificiam hoc modo defendentis. *In præmiſſis ergo Canonibus, aliis imponitur neceſſitas obſequendi; Summis verò Pontificibus oſtenditur ineſſe autoritas obſervandi: ut a ſe tradita obſervando, aliis non contemnenda demonſtrent, exemplo Chriſti, qui Sacramenta, quæ Eccleſiæ ſervanda mandavit, primo in ſeipſo ſuſcepit, ut ea in ſeipſo ſanctificaret. Oportet ergo primam Sedem, ut diximus, obſervare ea, quæ decernenda mandavit, non neceſſitate obſequendi, ſed autoritate impertiendi, &c.* Et ita concludit. *Valet ergo, ut ex præmiſſis colligitur, S. Romana Eccleſia ſuis Privilegiis quoſlibet munire, & extra generalia* Decreta *quædam ſpeciali Beneficio indulgere: conſideratâ tamen rationis æquitate; ut quæ Mater eſt*

Juſti-

Iuſtitiæ, in nullo ab ea diſſentire inveniatur, ut Privilegia, videlicet p.15.
quæ ob Religionis, vel Neceſſitatis, vel exhibiti obſequii gratiam, conceduntur, neminem, relevando, ita divitem faciant, ut multorum detrimenta non circumſpiciendo, in paupertatis miſeriam nonnullos dejiciant. 25. q. 1. ut ſup.

Et tales ſunt apud nos Exemtiones Patrum Societatis à ſolu- 53.
tione Decimarum, quibus Societas locupletari non debet, cum injuria, & jactura Cleri ſecularis. juxta Reg. Iuris 48. in 6. *Et hæc hactenus in genere.*

Sequuntur particularia quinque fundamenta, quibus de Iure evidenter oſtenditur, non obſtare PP. Soc. Exemtiones, quominus ſolvant Decimas Eccleſiis debitas, in Regno Poloniæ.

MAnifeſtum eſt multorum Bonorum, & plurimorum præ- 54.
diorum Patres Societatis, reſpectu ſingulorum Collegiorum in Provinciis Poloniæ Dominos effectos eſſe. Quæritur; an dicti Patres, ſucceſſores in talia Bona, ab oneribus eorum, à ſolutione videlicet Decimarum per Privilegium ſint exemti? Et negativè reſpondendum cenſeo, & affirmo, ex infra deducendis.

I.

Primum Fundamentum eſt. Autoritas Rotæ in una Valentina 55.
Decimarum, die Mercurii 1598. coram Seraphino S. Rotæ Romanæ Decano, poſtea Patriarcha Alexandrino, & S. Rom. Eccleſiæ Cardinali, cujus ſtatus eſt talis. Patres Soc. IESU acquiſiverant Bona quædam, in quibus Archiepiſcopus & Capitulum Eccleſiæ Valentinæ poſſidebant Decimas, jure ſpeciali, ex Privilegio Pontificio originem habente. Unde R. R. Patres prætendebant eorum Bona, & loca, eſſe à ſolutione Decimarum exemta, vigore Privilegiorum, eis à diverſis Pontifici-

p.16. bus Romanis conceſſorum. Itaque lite coram me introductâ: fuit dubitatum, An Privilegia Patrum Ieſuitarum, relevent in Caſu, de quo agitur.

56. Et causâ maturè diſcuſſâ, fuit per Dominos unanimi ſententiâ concluſum, non relevare, hocque potiſſimùm ex eo fundamento, quòd omnes Exemtiones, vigore Privilegiorum Summorum Pontificum conceſſæ, in materia Decimarum, intelligi debent de Exemtione ſolutionis earum Decimarum, quæ Parochis, vel aliis Perſonis, aut Collegiis, ex Iuris Communis diſpoſitione debentur; non autem earum Decimarum, quæ Iure ſpeciali, ex aliqua particulari conceſſione, aut Privilegio. *Rota apud Seraph. Deciſ.* 1293. *per totam.*

57. Idem ſequitur de verbo ad verbum. *Steph. Gratian. Deciſ.* 100. *n.* 8 *in additione*, & dat eandem rationem, quia Derogationes generales, non trahuntur ad ignorata, cùm etiam præſumendum ſit, Papam ignorâſſe Ius ſpecialiter alicui competens, quicquid aliud ſit in Iure Communi, cujus præſumitur ſcientia, & poſt ſe adducit ſuperiorem Rotæ Deciſ. *Card. Seraphin. Card. Pamphilii*, 9. *Iunii* 1597. Et latè declarat *Menochius*, *Conſ.* 36. *n.* 59. *uſque ad* 64. Ubi etiam, quòd non obſtabunt clauſulæ, ex certa ſcientia, motu proprio, de plenitudine poteſtatis, & aliis ſimilibus, de quibus etiam latè. *Aimon*, *Conſ.* 242. *colum.* 8. & 9.

58. In eundem ſenſum, & iiſdem verbis, tenet, & affirmat, & eandem dat rationem *Mareſcott. variar. Reſolut. l.* 2. *c.* 40. *n.* 35. *Theſaur. Leonis, part.* 2. *c.* 12. *de Decimis, n.* 71. *Flau. Cherub. in Compend. Bull. tom.* 2. *ſub. Bulla* 51. *incipiente, Paſtoralis officii. Gregorii XIII. Filluc. Soc. IESU, tract.* 27. *part.* 2. *de Decimis, c.* 8. *n.* 179.

59. Cùm ergo in Polonia, Clerici Beneficiati non habeant Decimas, prout de Iure communi ſibi pertinentes, ſed Iure Speciali, Donationis, Dotationis, aut Fundationis, ſeu Erectionis

nis

nis ſuarum Eccleſiarum, aut Beneficiorum, quas niſi hoc jure, *p.17.* vel alio ſpeciali habuerint, de Iure Communi non poſſunt eas prætendere. Hoc ipſum ſufficere poſſet ad deſtructionem Privilegii Societatis in Polonia, *ex Autoritatibus ſuprà allegatis.*

Sed quia moderni temporis Rota re poſtea, ut illa dixit, meliùs conſideratâ, reſolvit contrarium, *in Cordubenſ. Decimarum, Veneris* 30. *Januarii* 1637. *coram Coccino.* Et in eadem cauſa, *Veneris* 29. *Mâji.* 1638. *coram Carillo.* Quæ ambæ Deciſiones dant 60. rationem, quia cum ſimus in Decimis antiquis, non eſt facienda mentio in Privilegio Excemtionis, ex eo, quòd Papa ſciebat, vel cogitabat has Decimas ab aliquo percipi, & ſic quòd præjudicabat iis, quibus de Iure communi, vel aliàs debebantur.

Et ita video in hac particula, *Aut alias*, fundare ſuam intentionem; quod ita aſſerit Carillus: *Et ideò cum illa verba, Aut alias, poſita ſunt poſt mentionem Iuris communis, verificari non poſſunt, in alio, quàm in Iure Speciali, ut in Deciſ. ſupra citata.* 61.

Quo minimè in noſtro caſu contentus, recurro ad tenorem Privilegii, & ita ſcriptum eſſe invenio: *Aliaſque res, & Bona quæcunque, à quibuſvis Decimis, etiam Papalibus, prædialibus, Perſonalibus, quartis, Medietatibus, & aliis fructuum partibus, ſubſidiis etiam Charitativis, & aliis Ordinariis Oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defenſione Patriæ, Ac alias quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore impoſitis.* Miror, quomodo hanc particulam, *ac alias*, trahant ad Decimas in quinto verſu ab illis poſitam, ob interpoſitionem viginti circiter verborum, quorum ferè unumquodque diverſam Rem, & Materiam ſignificat, ita ut ſi aliquid operaretur, ad proximiorem verborum ſenſum, quibus appoſita eſt, referri, & alligari deberet, non ad illa ulteriora quibus adhærere non poteſt, niſi illa, quæ interpoſita ſunt, removeantur, *juxta Rot. Deciſ.* 62. 62. 63.

p.20.part.6. Recent. coram Merlin.n. 9. & 10. Et licet aliquomodo reduci videatur, nihil tamen operatur, cum non poſſit importare majora Expreſſis, *juxta Theod. Rub. ſingul. part.* 4. *circa clauſ. ex Rota Romana*, quòd habetur expreſsè, apud Rotam, coram Aldobrandino, *Deciſ.* 217. *n.* 2. & 7. *part.* 1. *Diverſ.*

64. Et inde ſequeretur illud inconveniens, & contra Regulam obſervatam, Privilegia odioſa poſſe ampliari, & interpretari ultra propriam verborum ſignificationem. Cujus qualitatis Exemptiones à ſolutione Decimarum eſſe; probat Suarez, &

65. dat talem rationem. Nam licet ex parte eorum quibus datur, videatur Religioni facere, tamen ſimpliciter derogat Iuri Communi, & ſecum affert præjudicium tertii, ſcilicet Eccleſiarum, & Clericorum, qui illis Decimis privantur, ideóque ſimpliciter odioſum eſſe. Ut notârunt *Oldran. Conſ.* 268. & *Gutier. Conſ.* 5. *n.* 5. *Barboſa Iur. Eccleſ. lib.* 3. *de Decimis*, *c.* 26. *n.* 14. *Monet. c.* 4. *n.* 67. *noviſſimè Roderic. in Compend. quæſt. Regul. Reſolut.* 50. *n.* 6. juxta vulgarem Regulam, *Odia reſtringi*, &c. ita ut quam minimum fieri poſſit, & Iuri communi deroget, & Iuri alterius noceat: Ut in ſimili reſpondet Pontifex *in c. Cum Capella, de Privileg.* ita enim Princeps ſolet Privilegium concedere, ut quoad fieri poſſit, ſine cujuſquam præjudicio obſervetur. *Ut dixit Iuriſconſ. in l. Prætor. ait*, §. *ſi quis*, 1. & 2. *Ne quid in loco pub. Gratian. Diſcept. forenſ. c.* 167. *n.* 50. *c.* 640. *n.* 14. *c.* 673. *n.* 1. *c.* 730. *n.* 31. & 32.

66. Semper tamen ita eſt reſtrictio facienda, ut verba Privilegii in ſua proprietate ſalventur, & ſecundùm illam ſignificationem Privilegium ſervetur, & ad effectum perducatur: juxta doctrinam Decii, *Conſ.* 113. *n. ultimo*: *Et Bald. Conſ.* 271. *in* 2. *volumine*, quia voluntas Superioris ex verbis propriè intellectis colligi debet: de qua re latiùs in materia de legibus. Verba ſunt Suarez, *de Religione*, *lib.* 1. *de Div. cult.* & *de Decimis c.* 18. *n.* 6.

n. 6. quæ proprietas ſpecialitatis, ex illa particula, *Ac alias*, col- *p.* 21.
ligi non poteſt, cùm non ſignificet majora expreſſis, *ut ſupra. n.* 63. Cum clauſula in fine poſita, debeat referri ad præcedentia, & non ad extranea, de quibus non eſt facta mentio. *Rota Deciſ.* 27. *n.* 5. *coram* Cantuccio, *part.* 2. *Diverſor.* & optimè ad noſtrum caſum Rota, *deciſ.* 23. *n.* 16. *uſque ad* 18. *parte* 5. *diverſ.*

Unde ex hoc tam parvo fundamento, per interpretationem devenire ad Decimas, ſpeciali titulo poſſeſſas, non abs re vetuſtior Rota conſenſum non præbuit, & noſtro rudi intellectui, viſa eſt melioribus nixa fundamentis, confirmata authoritate ipſius Suarez, qui ita dicit: Ex ratione data, conſtant aliæ partes aſſertionis, ſcilicet hoc Privilegium non concedi per modum Donationis, ſeu Ceſſionis ex rebus propriis, vel pertinentibus, ad proprium & ſpeciale jus Pontificis, &c. Datur ergo per modum diſpenſationis in Lege Communi, ut probatum eſt. *De Religione, ut ſupra c.* 18. *n.* 12. 67.

Sed dato, non conceſſo, quòd clauſula, *Ac alias*, ad Decimas, titulo ſpeciali debitas, referri poſſit, juxta Deciſiones ſuprà allegatas: Hoc tamen ad Decimas Poloniæ, ubi ſunt ſpecialiſſimæ, nullo modo poteſt extendi, ex ea ratione. Quia decimæ in privilegiis Pontificum contentæ, neceſſariò debent de illis intelligi, quæ ab eiſdem Pontificibus habent aliquam dependentiam, quod clarè docet Rodericus, *quæſt. Regul. tom.* 2. *q.* 44. *a.* 4. Ubi ex profeſſo materiam Privilegiorum, & Exemtionum à Decimis tractans, ita dicit. Neque obſtat, quod hæc redundant in præjudicium Ordinariorum, nam utens jure ſuo, non facit eis injuriam, Perſonas aliquas & ejus Poſſeſſiones Privilegio Exemtionis illuſtrando. Reges enim jure ſuo utentes, faciunt Nobiles, & à Tributis exemtos, licet ex conſequenti graventur aliqui. Et ſic Pontifex circa Decimas prædiales, *antequam Parocho, aut alteri ſit Ius quæſitum*, & *Dominium;* 68.

p. 22 nium; poteſt ex cauſa diſponere, eò quòd Parochis, & Epiſcopis, ſub eo modo & conditione, conceſſit jus Decimarum, quamdiu ipſe non revocaret, *fol. mihi* 102. *ad lit. C.*

69. Unde quum tali modo in Polonia non poſſideantur, & nullâ ratione, aut interpretatione, quòd ſint ex conceſſione Pontificis, de ipſis hoc poſſit verificari, cum illas Religioni, Pietati, & liberalitati Regum, & Principum ſuorum, Clerus Poloniæ debeat. A quibus niſi Fundationis, Dotationis, aut Donationis Titulum habuerint; non poſſunt eas Beneficiati aliter prætendere: Et ita apud nos aliqua Actio in vim Iuris Communis, aut alicujus Decretalis Pontificiæ, contra Laïcos nunquam vindicata. Quod non ideo adduco, ut hoc approbem; quis enim ignorat, de Iure communi,& liberalitate Pontificiâ,quàm eſſemus feliciores, ſi omnes Beneficio communi gauderemus; ſed, cùm tam rari ſimus decimantes, quàm illi Nantes in vaſto gurgite, non mirum ſi Status noſter Eccleſiaſticus, circa Ius quæſitum, in iſta paucitate conſervandum, adeò ſit ſollicitus. Ac proinde hoc ſpecialiſſimo Titulo manifeſtato, Decimas noſtras, contra Clauſulam, *Ac alias*, excipimus, & non temerè dicimus, ſub illa ſpecialitate Coccini & Carilli nullo modo poſſe comprehendi. Quæ ſi alicui leviuſcula videantur,ſufficit quòd ad evitandum damnum, & præjudicium quælibet interpretatio & occaſio,etiam leviſſima admittatur. *Rota Deciſ.* 27. *n.* 4. *coram Cantuccio, parte* 2. *diverſ. ubi plures allegantur autoritates.*

II

70. *Secundum Fundamentum eſt.* Quia Privilegium conceſſum Religioſis, de non ſolvendis Decimis, non extenditur ad eas, in quarum poſſeſſione is eſt, cui de jure competunt Decimæ. *Gavanta, V. Decimæ. n.* 8. *citans.* M*onet. de Decimis. c.* 5. *q.* 2. *concl.* 3. Quod Rodericus ſupra allegatus, n. 68. iis verbis confirmat: Et ſic ſummus Pontifex circa Decimas prædiales, *an-*

tequam

tequam Parocho, aut alteri ſit jus quæſitum, & Dominium, Poteſt *p. 23* 35
ex cauſa diſponere, &c. Quia nemo eſt privandus re ſuâ, vel ſibi debitâ, etiam à Papa, antequam audiatur, vel ſaltem citetur. *Navar. Conſil. lib. 2. conſ. 1. n. 6. c. Inter quatuor. De Major. & obed. c. Nos quenquam. 2. q. 1. c. Conquerente. De Reſtit. Spoliatorum.* Privilegium autem privaret quemlibet neſcium, & innoxium, contra omnem æquitatem.

Quod licet ad noſtram defenſionem ſufficere poſſet, Rota tamen apud Carillum, *in d. Cordubenſ.* facit nobis non modicam difficultatem, dicens, quòd quamvis in Privilegio non fuerit facta mentio, quòd Decimæ de Iure ſpeciali poterant ſpectare ad aliquem, ſive ex Privilegio, Donatione, vel præſumtione, cenſeatur nihilominus derogatum, cùm ſimus in materia de ſui Natura præjudiciali: idque ut ibidem paulò ſupra, propter verba univerſalia, quæ etiam extendit in præjudicium tertii. adducens. *c. Quamvis de Reſcriptis.* quod hîc ponendum duxi, ut à Legentibus animadvertatur, quàm magnum, ex nullo fundamento, nobis prejudicium generetur, & eſt tale. *Quamvis is, cujus gratiâ (per quam mandabatur in certa Eccleſia provideri ſibi de Beneficio proximè vacaturo) per nos fuerat revocata, reſtituatur à nobis denuo ad eandem, non tamen ei, cui poſt revocationem, & ante reſtitutionem prædictas, ſimilis in eadem Eccleſia gratia facta fuit, (niſi de hoc expreſsè dixerimus) anteferri debebit, cùm talis reſtitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri ſine Iuris præjudicio alieni.* 71.

Quod licet ſit Reſcriptum in valde modico caſu, multùm tamen militat à fortiori argumento pro nobis. Ubi Bonifaçius 8. dicit; *Niſi de hoc expreſſè dixerimus.* & iterum: *Ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri ſine Iuris præjudicio alieni.* Quomodo Ergò Rota, cum præjudicio aliorum, vult in Privilegio Decimas de Iure ſpeciali contineri, quod ibi expreſſum non eſt? Cujus allegatio capituli potiùs eſſe videtur deſumta ex Repertorio 72.

p.24 torio erroneo, quàm ratio ex ipſo Canone, quia aliàs ſequeretur, ſenſum illius non eſſe bene intellectum; quod abſit, ut dicamus!

73. In eundem ſenſum reſcripſit Alexander 3. ſuo delegato. *Hoc tuam volumus diſcretionem tenere, quòd licet quæſtionem, quæ de Præſentatione vertitur, appellatione remotâ, committamus alicui terminandam, non tamen eſt noſtræ intentiònis Diæceſano Epiſcopo, Archidiacono, vel Preſbytero præjudicium generare*, c. ſuper eod. de Offic. & Poteſt. Iudicis delegati.

74. Et in puncto circa Decimas, egregium lego Decretum, quod Gregorius Nonus fecit Majoris Eccleſiæ, & Chriſtianitatis Decano, & Archidiacono Linconienſi his verbis. *Dudum inter Priorem & Conventum de Butele ex parte una; & Prioriſſam & Moniales de Campeſſe ex alia, ſuper Decimis, lite motâ: De Conſilio Fratrum noſtrorum decernimus Iuri prædictorum, Prioris, & Conventûs, ſuper Decimis Novalium, in quarum erant Poſſeſſione tempore illo, quo indulgentiæ Apoſtolicæ impetratæ fuerunt, à parte altera, de Decimis Novalium non ſolvendis, non debere per eas, (non facientes de hoc aliquam mentionem) Præjudicium generari.* de Privil. c. Dudum.

75. His lex ſecularis concordat, quòd Principum conceſſiones, intelligantur ſine alterius damno & injuriâ, *l.* 2.§. *Meritò* & §. *ſi quis à Principe. ff. Ne quid in loco publ.*

76. Et quòd non poſſit Princeps, etiam ex ſuæ Plenitudine Poteſtatis, tollere Ius alterius, multorum auctoritate demonſtratur. *Apud Menoch. de Arbitr. Iud. lib.* 1. *q.* 48. *n.* 1. & 7. *ita enim affirmant Bal. Alex. & Iaſ. in l. Teſtamentum, C. de Teſtam. Iaſ. in l. Barbarius, n.* 35. *ff. de offic. Prætoris. latiſſimè Crav. conſil.* 241. *n.* 10. qui infinitos hujus ſententiæ Doctores retulit, rejectâ opinione contrariâ.

77. Neque illæ Clauſulæ Generales, & valde, ut vocant, prægnantes, aliquid valent, in præjudicium tertii. Ut multis probat

bat auctoritatibus, *Menoch. de Arbitr. Iud. lib.* 1. *q.* 9. *n.* 11. Hæ *p.* 25 enim, etiamſi ſint ampliſſimæ, nullum effectum tribuunt, & ſunt ſuperfluæ, quatenus concernunt præjudicium tertii; quaſi non ſufficiat, quod adſit voluntas Principis, niſi etiam aſſiſtat Ius, quod debet concurrere cum voluntate, ad quemcunque Actum perficiendum. *Gratian. Diſcept. Foren. c.* 673. *n.* 3. *Covarr. var. Reſol. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 9. *cum aliis per Lupum. d.* §. 5. *n.* 31.

Latè, de hac materia Sanctarellus, Soc. IESU, amplians, quòd ſtante dubio, an per legem latam, alteri damnum & præjudicium inferatur, interpretatio ſit facienda, ut non cenſeatur eſſe lata lex in tertii Præjudicium. *Tyraquell. in l. ſi unquam. V. Donatione largitus. n.* 288. *C. de revocanda Donat.* & potiùs in Principe præſumenda eſt oblivio, quàm quòd alteri velit auferre Ius quæſitum; ut notat Rota, *Deciſ.* 33. *n.* 5. *& ult. de Præbend. & Deciſ.* 3. *n.* 8. *de Præbend. in antiquioribus.* Et ad evitandum præjudicium tertii, Verba ſunt improprianda, & potiùs eſt præſumendum, quòd ſubreptitiè Reſcriptum fuerit obtentum, quàm quòd velit Princeps Ius alteri quæſitum auferre. *Sanctarell. Soc. IESU. apud quem multas allegationes, & autoritates, vide.* 78.

In eandem ſententiam loquitur *Menochius, lib.* 2. *Præſumpt.* 79. 9. *per totam.* Ubi dicit iſtam opinionem eſſe communiſſimam, & vel maximè procedit in eo Iure tertii, quod deſcendit à Iure Divino, vel à Naturali, quales ſunt noſtræ Decimæ, quæ deſcendunt ab utroque, & eo ſolo reſpectu, à pietate fidelium Eccleſiis conceſſæ.

Enixa verò voluntas Papæ, de qua Rota in d. Corduben. 80. dixit conſtare, nobis non verificatur, quæ conjicitur, quando ex certa ſcientia, vel motu proprio conceſſit, atque reſcripſit. *Menoch. lib.* 2. *Præſumpt.* 8. *n.* 25. allegans ibidem magnam congeriem autoritatum: quæ duæ clauſulæ in Derogatione cap.

p.26 *Nuper.* Gregorii XIII. non reperiuntur. Ut videre eſt in ejus Bulla, incipiente, *Paſtoralis officii*, neque poſſunt colligi, quia evidenter patet contrarium, dicitur enim ibi. *Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Everardus Mercurianus*, *&c.* Quæ relatio Patris Præpoſiti Generalis, non eſt certa ſcientia Papæ: & etiamſi eſſet, non traheretur ad extranea, & ſeparata. *Theod. Rub. ſing. part.* 4. *de clauſ. fol.* 368. Neque poteſt dici fieri motu proprio, quod fit, ad preces alicujus. Ut ibid. habetur, *ſupplicationibus ipſius præpoſiti inclinati*, *volumus*, *&c.* quæ inſtantia, & poſtulatio, non operat ur præjudicium tertii, imò tunc præſumtio juſtæ cauſæ, quæ in Principe eſſe ſolet, ceſſat. *Menoch. præſumt.* 10. *Lib.* 2. *n.* 32. dicens ita reſpondiſſe Roman. in ſpecie. *conſ.* 436. *n.* 19. *Socyn. ſen. conſ.* 263. *col. penult. verſ. Et ſi dicatur*, *lib.* 2. *& in conſ.* 62. *col. ult. lib. tertio.* Ubi dat rationem Menochius, quia per importunitatem potiùs petentium, & inſtanter requirentium, videtur Princeps facere, quàm quòd ita agendum eſſe ſentiat, *juxta traditionem Bart. ex illo textu in l.* 1. *C. de petit. Bon. ſubl. libro decimo.*

81. Quod ſi aliqui autores in contrarium adducantur, intelligendi ſunt de modico, non verò de magno & perpetuo præjudicio, *juxta Menoch. lib.* 2. *præſumt.* 9. *per totam*, ubi conciliat inter ſe Doctores, & adducit. *Fel. in cap. Nonnulli*, *n.* 13. *verſic. ſecundus caſus eſt*, *de Reſcriptis.* qui pariter intellexit prædicta, quando agitur de modico præjudicio. Ideo noſtræ Decimæ erunt extra iſtum caſum, cum non ſolutio earundem, ſit cum enormi Eccleſiarum læſione, juxta atteſtationem ipſius Pontificis, infra n. 174.

III.

82. *Tertium fundamentum* ex priori emanat, videlicet Privilegium Exemtionis Decimarum amitti, ob enormem læſionem Eccleſiæ & Perſonarum, ad quas, ſublato Privilegio, Decimæ

perti-

pertinent. Et quidem ſi clara læſio ſit, eo ipſo Privilegiatus *p.27.* amittit Privilegium in conſcientia. *Filluc. Soc. IESU, tract.27. part.2. de Decimis.* Et videtur mihi innixus autoritati Suarez, *de Religione, lib.* 1. *de Divin. cult. neceſſ. & decimis*, *c.* 20. ubi eadem verba reperio, deſumta *ex cap. ſuggeſtum*, *de Decimis*, *ubi DD. omnes*, *& Alenſ. Sotus, Rebuff. Covar. & alii.*

Ex ea ratione, quam aſſignat ibidem Suarez, in hæc verba: 83.
Et ratio eſt clara, quia non eſt intentio Concedentis, ita gravare Eccleſiam, ut ſæpe dicitur in eodem titulo. de Decimis; aliàs conceſſio eſſet injuſta. Interrogari verò ſolet, an in eo caſu amittatur Privilegium ipſo Iure; an neceſſaria ſit declaratio, vel revocatio ſuperioris. De quo puncto videri poteſt Panormitanus, in d. c. ſuggeſtum, & in c. Cum ad hoc. de Cler. non reſiden. n. 8. *& in c. Quid per nova le· circa finem de verbo. ſignif. & ibid. Ioan. Andreas, & Felin. in c. Cum receſſiſſent. de conſtitut.*

Breviter tamen videtur dicendum (ut aſſerit idem Suarez,) 84.
ſi Privilegiato clarè, & evidenter conſtet de enormi læſione, eo ipſo amittere Privilegium in Conſcientia, & Iuſtitia. in gl. in c. Reſcripta. 25. q. 2. v. Quod non lædat. Panorm. & alii. *Et patet, quia jam illi conſtat de mente concedentis, & quia Privilegium ſemper habet intrinſecè incluſam illam Conditionem, & ideo ſi à Principio eam inveniſſet, fuiſſet nullum. Ergo quamprimùm impleta fuerit, ceſſat effectus Privilegii. Denique illa conditio reſolvitur quaſi in limitationem temporis, datur enim Privilegium, donec enormiter lædat. Ergo dato termino, ceſſat. Ergo non poteſt illo Privilegiatus in Conſcientia uti. Nihilominus tamen, in eo ca-* 85.
ſu, non poterit Eccleſia exterius cogere Religionem ad Decimas ſolvendas propriâ autoritate, ſed per ſuperiorem legitimum; quia nullo Iure hoc ei conceditur, tunc autem ſatis eſt, ut cauſſa decidatur per quemlibet Iudicem competentem. Et hæc omnia elegantiſſimè Suarez loco citato, Summus in Religione Patrum Iuriſta, & Theologus, cujus ſententiam, & allegationes, de verbo ad verbum deſcripſi.

p. 28 non enim ratio, ad noſtram defenſionem, à quoquam, meliori-
86. bus fundamentis, explicari poterat. Utinam cum Fillucio, moderni temporis, & Controverſiæ, eum Judicem haberemus, aut ſaltem illo tempore fuiſſet Conſiliarius P. Mercuriano, fructus alienæ Meſſis à Gregorio XIII. poſtulanti; dixiſſet enim proculdubiò, quod nobis ſcriptum reliquit. *Cavendum eſt Pater, ne tale Privilegium cedat in aliorum ſcandalum, vel rationabilem querimoniam.* lib. ſuprà-citato. cod. titulo. c. 13. n. 13. ad finem juxta cap. Suggeſtum. De Decimis.

87. Sed hujus ætatis homines, non habent eam conſcientiam: unde diſpenſati, fortaſſis dicunt: Papa diſpenſavit, ipſe ſibi viderit, ego immunis ſum: quod notavit Sanctarellus Soc. Jesu, variar. Reſolut. quæſt. 1. n. 9. ulterius ediſſerens his verbis: *Hic cavillus ſecuros multos reddit, tutum verò neminem, quia Papa non eſt Dominus, ſed Diſpenſator; ideo qui iniquam diſpenſationem petit, iniquitatis cauſa eſt, & qui eâ utitur, eâdem ſemper irretitur iniquitate.* Et adducit Sotum lib. 3. q. 6. a. 3. verſ. Itaque & Papa. Ubi ait, Papam ſine legitima cauſâ diſpenſantem graviter delinquere, & ejus delictum non liberare ambientem, obtinentem, & retinentem à culpa. Quem vide fuſiùs cum plurimis autoritatibus. *quæſt. 1. ſupra-citatâ.*

88. Et hæc ad faciendum ſcrupulum Patribus, ne utantur Privilegio cum detrimento, & læſione Eccleſiæ, quoniam eo ipſo amittitur, dicta ſufficiant.

IV.

89. *Quartum Fundamentum eſt.* Ex Conſtitutionibus Synodalibus, quarum Decreta & rationes in materia Decimarum videamus, ſub titulo.

I.

S *Tatuimus, ne Religioſi cujuscunque Ordinis, vel Religionis, exſiſtant Privilegiati, &c. Si quas etiam Eccleſias Parochiales, intra quarum limites Monaſteria habuerint, terras, agros, prata, aut alia Bona, de quibus jure Decimam ſolvere tenentur. in Decimatione defraudaverint, hos, & omnes ipſis ad hoc opem, vel operam in Præmiſſis dantes, & ipſorum ſervitiis intendentes, decernimus, ipſo facto ſententiam Excommunicationis incurriſſe.* Conſt. Synod. lib. 4. fol. mihi 314.

II.

Quàm turpe ſit, & per omnia iniquum, quoſdam tolerare Clericos, qui per rerum alienarum immoderatam Cupiditatem, lucris flagitioſis adeò intendunt, ut etiam quod in ſe ab aliis committi exſecrantur, in alios ipſi exerceant, prout in pleriſque negotiationibus, tum verò in Decimis faciunt. Quippe dum ſuas Decimas à ſecularibus vendi nolint, aliorum ipſi Decimas rapere, temerè non verentur. Quod non modò in Clericis, (quos ſanctiores Laicis eſſe convenit) Verùm & in Laicis deteſtandum crimen eſt. Proinde ut hic mali fomes de Clero tollatur, ſacra ſtatuit Synodus, ut quicunque Clericus Decimam alterius cujuſcunque rapuerit, eam, cum pœna triplici, juſtæ æſtimationis, ejus Decimæ, quam rapuit, reddere cogatur. Cujus pœnæ dimidium ipſo facto Eccleſiæ Diœceſanæ luat, fabricæ applicandum, dimidium verò damnum paſſo exſolvat. lib. 4. fol. 334. 90.

III.

Decimæ ex Bonis ſpiritualium quorumcunque, liberè, ſine ullo impedimento tam ipſorum, quàm ſuorum Præfectorum, per eos, ad quos pertinent, percipiantur, ne Laici eorum exemplo ſcandaliſentur. lib. 5. c. 20. fol. 361. 91.

92. *Conquerentibus nonnullis Preſbyteris , Parochis , aliiſque Clericis, &c. quòd eis denegentur Miſſalia , & aliæ obventiones , antea eorum Eccleſiis ſolvi conſuetæ , non ſine gravi injuria eorum , & ſcandalo ſecularium hominum. Decrevit itaque ſacra Synodus , innitendo Statutis prioribus , ne deinceps quiſquam Dominorum Epiſcoporum , aut quævis Eccleſiaſtica perſona , Secularis, vel Regularis , aliquem Parochum, aut alium quempiam Clericum , in conventibus, Decimis , Miſſalibus , Maldratis , & aliis quibuſcunque Iuribus & obventionibus , eorum Eccleſiis ſolvi conſuetis impedire , aut quoquo modo ſolutionem illorum denegare præſumat ; Quin imò factores , ſubditoſque ſuos , ad ſolutionem eorum cogat , & compellat.* lib. 3. Petricovien. fol. 193.

93. Horum Statutorum , videnda eſt Confirmatio Gregorii Papæ XIII. Cujus generali Privilegio , contra ſpecialia noſtra Iura , PP. Soc. ſe tueri intendunt. *Qui ea in virtute S. obedientiæ, ab omnibus Provincialibus , tam Secularibus quàm Regularibus , obſervari mandavit. Contradictores quoſlibet, & rebelles , ac parere recuſantes, per pænas , ſententias , & Cenſuras Eccleſiaſticas , &c. Aliaque opportuna Iuris & Facti Remedia , &c. quacunque appellatione remotâ , &c , invocato etiam , ſi opus eſſet , auxilio brachii ſecularis , compellendi Exſecutoribus Epiſcopis fecit Poteſtatem. Non*

94. *obſtantibus Conſtitutionibus , & Ordinationibus Apoſtolicis , Privilegiis quoque Indultis , & literis Apoſtolicis , in Contrarium forſan quomodolibet conceſſis , & confirmatis. Quibus omnibus , eorum tenores , ac ſi de Verbo ad Verbum insererentur , præſentibus , pro ſufficienter expreſſis habentes , &c. ad effectum præſentium , ſpecialiter & expreſſè derogando contrariis quibuſcunque , ſeu ſi aliquibus communiter , vel diviſim , ab eadem ſede ſit indultum , quòd interdici, ſuſpendi , vel excommunicari non poſſit , per literas Apoſtolicas , non facientes plenam & expreſſam , ac de Verbo ad Verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.* Datum Romæ, apud S.Petrum ,

ſub-

ſub Annulo Piſcatoris, die 8. April. 1578. Pontificatûs anno 6. *p.* 31.

In Synodo verò poſteriori, præſidente Regni Principe, & 95.
Primate, Laurentio Gembicki, Archiepiſcopo Gneſnenſi, &
Legato Nato, ita circa Decimas ſtatutum eſt. *Decimæ jure divino debentur Deo, & Eccleſiis, ad congruam ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiaſticorum. Quamobrem fideles omnes, cujuſcunque gradûs, &c.*

Regulares quoque intelligant, ſe ex poſſeſſionibus, quas acquiſierunt, 96.
vel indies acquirent, teneri Decimas prædiales ſolvere, quemadmodum tenebantur ſeculares, priuſquam Poſſeſſiones hujuſmodi in Regulares tranſtuliſſent: Alioquin eoſdem Regulares, niſi Iudices Conſervatores elegerint, ad Præſcriptum Conſtitutionis S.D.N. die 29 *Septemb. Anno* 1621. *hac de re editæ, coram Locorum Ordinariis conveniri poſſe.*

Quod inter alia Gregorius PP. XV. ita confirmavit. *Ad fu-* 97.
turam Rei Memoriam. Militantis Eccleſiæ regimini divinâ diſpenſatione præſidentes, ſollicito vigilare tenemur affectu, ut omnium Eccleſiarum Status, ad ſacrorum Canonum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ normam compoſitus, ſuorum commendet vigilantiam Rectorum, dum bene diſpoſita diligenter cuſtodiunt, & reprehenſioni obnoxia, ſalubri corrigunt Medicinâ; & ideo ſi quæ ab illis, pro paſtorali munere, providè, & laudabiliter ordinantur, ut ab omnibus obſerventur, libenter providemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cum itaque, ſic-
ut ex literis Ven. Fratris Laurentii, Archiepiſcopi Gneſnenſis, 98.
accepimus, ipſe de anno 1621. *Synodum Provincialem celebraverit, in ipſaque Synodo, nonnulla Statuta, quæ à Ven. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Concilii Tridentini interpretibus, juſſu noſtro accuratè perlecta, & paucis in locis, ubi opus viſum fuit, emendata, atque aptata ſunt, condita fuerint: Nos, egregiam ipſius Laurentii Archiepiſcopi,*

&

p.32 & venerabilium fratrum Epiſcoporum Comprovincialium ſuorum
Pietatem, & Catholicæ Religionis zelum, ac in nos, & hanc ſanctam
Sedem, devotionem, inprimis ſummopere commendantes, & communi,
in illa Provincia, eorundem ſtatutorum, obſervationi, quantùm cum
Domino poſſumus, conſulere volentes, Synodi præfatæ, quam eidem
Laurentio Archiepiſcopo remittimus, Statuta, ſicut præfertur, emenda-
ta, atque aptata, ab omnibus, & ſingulis Perſonis Eccleſiaſticis, tam ſe-
cularibus, quàm cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularibus, ac aliis, in
dicta Provinciâ exſiſtentibus, ad quos quomodolibet ſpectat, inviolabili-
100. ter obſervari præcipimus, & mandamus; eundemque Laurentium Ar-
chiepiſcopum, & Epiſcopos Comprovinciales ſuos præfatos, hortamur in
Domino, & attentè monemus, ut Statuta præfata, juxta eorum formam,
& tenorem, in ſuis Diœceſibus publicent, illaque publicari, & ab omni-
bus & ſingulis dictæ Provinciæ perſonis, ſecularibus & regularibus, ac
aliis præfatis, in omnibus, & per omnia, integrè, & ſub ſententiis,
Cenſuris, & pœnis in eis contentis, recipi, admitti, obſervari, præſtari,
101. & debitæ exſecutioni demandari faciant. Decernentes, neminem ab
eorum obſervatione, quovis prætextu, & cauſſâ ſe excuſare debere,
ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis authorita-
te, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. In contraria facienti-
bus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ, apud S. Ma-
riam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Iunii 1623. Pon-
tificatûs noſtri Anno tertio.

102. Ex his confirmationibus, noſtrorum Statutorum, Gregorii
XIII. & XV. colligo, ea omnia, quæ pro nobis ſtatuta ſunt,
eſſe in Superiorum noſtrorum Poteſtate, conſervare, & ad Ex-
ſecutionem deducere, contra quæ, nullæ Exemtiones, ſi velint,
poſſent prævalere, cum illis liceat, Contradictores quoſlibet,
rebelles, ac parere recuſantes, tam ſeculares, quàm Regulares,
per pœnas, ſententias, & cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque Iuris,
& facti opportuna Remedia, quâcunque appellatione remotâ,
invo-

invocato etiam auxilio brachii ſecularis, ad Exſecutionem deducere. Non obſtantibus Privilegiis, Conſtitutionibus, Indultis, & literis Apoſtolicis, in Contrarium forſan quomodolibet conceſſis, & confirmatis. Ut ſuprà latiùs.

Quo nos minimè attento, cum aliquid contrarii, contra Statuta noſtra, aliquando non in ſcripto, ſed in ſola voce, ab aliquo profertur, ſubitò perturbamur, & de S. Sede Apoſtolica injuſtè, cum injuria ipſius, conquerimur: cum nobis omnes modos poſſibiles, quibus noſtra Statuta inviolata conſervari poſſunt, in eorum Approbatione, & Confirmatione conceſſerit. 103.

Unde ſi quid nobis, à Curia Romana aliquando afferatur, quod noſtris moribus, & legibus aſperum videatur, non opus eſſet indignari, nec de ſancta Sede (à qua datur ut petitur) cum ſcandalo plerunque laïcorum, quod ſine peccato fieri non poteſt, temerè querulari. Sed in hoc paſſu eam Regulam obſervare deberemus, quam Alexander tertius, Pontifex Maximus, Ravennati Archiepiſcopo, his verbis præſcripſit: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non debes.* Et infra. *Qualitatem negotii, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſſam prætendas. Quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod pravâ nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* De Reſcriptis. c. ſi quando. Cui ſimile eſt illud, quod ſuprà notatum eſt. n. 50. Innocentii tertii. 104. 105.

His ita pro veritate declaratis, pauliſper nobis immorandum eſt, & objectioni Patrum ſatisfaciendum, qui dicunt, ubi de illis expreſſa non eſt mentio facta, & tenores Privilegiorum de verbo ad verbum non ſunt deſcripti, per hoc eorum privilegiis non derogari. &, ſi qua ſtatuta aut Reſcripta Pontificia contraria producantur, de aliis potiùs, & non de ipſis, intelligantur, &c. 106.

p.34. Quibus ſic reſpondet *Gambarus de Off. & Poteſt. Legati, de*
107. *latere lib.* 8. *ſub titulo de poteſtate Legati, in legibus & ſtatutis condendis, n.* 33. *uſque ad* 45. *his verbis.* Secunda Concluſio eſt, per Clauſulas, *Non obſtantibus quibuſcunque in Contrarium facientibus, etiamſi talia forent, de quibus, de verbo ad verbum, eſſet habenda mentio;* eſt ſufficienter derogatum, quibuſcunque Privilegiis etiam habentibus Clauſulas derogatorias, & requirentibus ad ſufficientem derogationem, ut fiat ſpecialis mentio, & individua de illis. quod probat autoritate Federici, conſ. 47. qui movetur: quia ſi teneremus contrarium, auferretur Poteſtas Papæ tollendi & derogandi Privilegiis, quoniam Privilegia ſunt facti, & poſſunt ignorari per Papam, ad tradita *in c.* 1. *de Conſtit. in* 6. Unde non eſſet dare viam, ubi ipſe novum Privilegium dare poſſet, niſi miſſo Edicto, ut comparerent Privilegiati, quod eſt abſurdum. ut *c. Dudum. de Præbendis, in ſexto.*

108. Item, quia Anteceſſor non potuit legem imponere Succeſſori, quominus ipſe liberè uteretur ſuâ poteſtate. *c. Innotuit, de Electione.* Quomodo enim Papa poteſt exprimere conceptum ſuum, niſi per iſtas generalitates? *ibid.*

109. Tenent aliqui Contrarium, quorum principale argumentum eſt, quòd cum iſtæ clauſulæ paſſim concedantur, Privilegia nunquam haberent locum, & indiſtinctè revocarentur.

110. Tu tamen (dicit idem autor) ſequere opinionem Federici, *Conſ.* 47. quam ſequitur Rota, & approbat, quia aliàs ſequeretur inconveniens, quòd Papa non poſſet revocare Privilegium quando vellet, cujus fundamentum in mera ipſius voluntate conſiſtit. Reſpondent adhuc aliqui, & dicunt, in his caſibus inveniendos eſſe tenores Privilegiorum, in Regiſtris Papæ.

111. Sed hæc reſponſio non valet, quia non eſt arctandus Papa, ad evolvendum Regiſtra Sedis Apoſtolicæ, quæ ſunt propemodum infinita, neque potuit per Anteceſſores ad hoc arctari.

Et

Et ita ſtylus Curiæ approbat hanc interpretationem. Quando enim Papa vult, quòd pro expreſſis habeantur quæ obſtant, quid aliud poteſt clariùs explicare? haberi pro expreſſo, perinde eſt, ac ſi exprimatur. *Bartol. in l.* 1. *ff. Nau. Cau. ſtab.* Operatur enim hæc fictio idem, quòd pręciſa veritas in his, quæ dependent ab autoritate fingentis. *Hæc omnia Gambarus in loco ſupra-citato.* In eundem ſenſum *Sanctarellus Soc.* JESU, *Variar. Reſol. q.* 12.*n.* 10. *uſque ad finem.* p. 35.

Et *Gembarus infrà in eod. loco*, ponit. Caſus aliquos, in quibus, per neceſſariam venit conſequentiam, de mente Principis non eſſe intelligendam derogationem, qui omnes in noſtris ſtatutis à fortiori argumento procedunt: inter quos, brevitatis cauſſâ, unum adduco, quem obſervavit Rota in judicando. 112.

Quidam exſpectans, voluit aſſequi Beneficium, in vim ampliſſimi Reſcripti Pontificii, contra indulta cujuſdam Capituli in Germania. Et fuit judicatum, quòd illa Clauſula generalis Exſpectativarum, quamvis pinguis, & prægnans, non præjudicaret illi nobili Capitulo; quia in Indulto eorum, erant tales cauſæ expreſſæ, quòd non credebatur, Romanum Pontificem voluiſſe illis derogare, quia concernebant Privilegia utilitatem publicam, & ampliationem Eccleſiaſticæ Juriſdictionis. *Gambarus loco ſupra-citato.* 113.

Quid dicemus de noſtris Statutis, quæ non unius nobilis Capituli, ſed tot Provinciarum totius Regni, & Magni Ducatûs Lituanię, concernunt publicam Cleri utilitatem, & ampliationem Eccleſiaſticæ Juriſdictionis. 114.

Quæ primò in Concilio Generali, ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & alio numeroſo Clero, Seculari, & Regulari, rationabiliter, & legitimè conſtituta, poſtea Cenſuræ Sedis Apoſtolicæ tranſmiſſa, ibique Mandato Summi Pontificis, à ſacra Congregatione Cardinalium, S. Concilii Tridentini 115.

p.36. interpretum, reviſa, examinata, & ubi opus erat emendata, & poſtea Summo Pontifici enarrata,ab eodem, maturâ deliberatione præmiſſâ, laudata, approbata,. & confirmata ſunt. Et ideo majoris eſſe ſubſtantię, & valoris, quàm Privilegia, quę ad preces unius ſupplicantis, ſolâ Principis voluntate conceduntur, nemo dubitat, qui conſiderat tantam Statutorum deliberationem, & ſollemnitatem.

116. Sed ut diutius in iſta comparatione Privilegiorum, Exemtionis à ſolutione Decimarum, & noſtrorum Statutorum perſiſtamus, in multis voluminibus legum, conatus ſum invenire aliquam hujus Exemtionis commendationem, & nihil, quod laudi ſerviret, reperire potui; hoc me ſolùm, cum multis aliis Lumen Soc. Suarez edocuit: *Regulam generalem eſſe, hoc Privilegium Exemptionis à Decimis ſolvendis, etiam Religioſis conceſſum, odioſum eſſe, quia derogat Juri communi, & affert ſecum præjudicium tertii.* De Relig. lib. 1. de Div. cult. & Decimis, c. 18. n. 6.

117. Quod idem tollere convictum humanum, & Societatem, atque ideo ipſi Naturæ inimicum eſſe, ipſe Cicero, lumine Rationis inductus, pulcherrimè his verbis aſſeruit. *Si ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſque Emolumentum, ſpoliet, aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundùm Naturam, Humani Generis Societatem. Ut ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet: Sic, ſi unuſquiſque noſtrûm, rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatque, quod cuique poſſit, Emolumenti ſui gratiâ, Societas Hominum, Communitaſque, evertatur neceſſe eſt. Nam ſibi, ut quiſque malit, quod ad uſum vitæ pertineat, quàm alteri, acquirere, conceſſum eſt, non repugnante naturâ: Illud quidem Natura non patitur, ut aliorum ſpoliis, noſtras facultates, copias, opes, augeamus. Neque verò hoc ſolùm Naturâ, id eſt Iure Gentium,*

tium, ſed etiam Legibus Populorum, quibus in ſingulis Civitatibus Reſpublicæ continentur, eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceat, ſui commodi cauſſâ, nocere alteri; hoc enim ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe Hominum Conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exſilio, vinculis, damno, coërcent. Atque hoc multò magis exigit ipſa Naturæ ratio, quæ eſt Lex Divina, atque Humana, quam qui ſequitur., nunquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Offic. lib. 3. c. 3.. p.37.

E contra in noſtris Statutis, nemo aliquid inveniet, quod Naturæ, Legi, aut civilitati opponi poſſit, pro quibus, illud præclariſſimum Pauli V. Pontificis Maximi juvat hîc adducere Encomium. *Cuncta quidem piè, ac prudenter conſtituta fuiſſe reperimus: diligenter enim Synodi Decreta legimus, atque conſideravimus, & ut Venerabiles Fratres noſtri S.R.E. Cardinales, interpretes ſacri Tridentini Concilii, ea quoque accuratè recognoſcerent, juſſimus, propterea nonnullis mutatis, illa approbavimus. Unum quod maximè refert, & quod Fraternitatem tuam diligenter curaturam eſſe confidimus, remanet; ſcilicet, quæ ſummâ pietate, atque prudentiâ ſancita fuerunt, pari zelo, atque diligentiâ, Exſecutioni mandentur; ad Dei laudem, & Ordinis Eccleſiaſtici incrementum, & totius Nobiliſſimi Regni Poloniæ utilitatem, &c. Hortamur igitur, &c.* Quid ampliùs commendare potuit, Reipub. noſtræ benevolentiſſimus Pater, Pontifex Burgheſius? Tuſculi, ſub Annulo Piſcatoris, quarto Nonas Octobris. 1608. Pontificatûs ſui anno quarto, Archiepiſcopo Gneſnenſi. 118.

Unde alicui Reverendo Patri ſua Privilegia Exemtionis in dextera, & noſtra Statuta juſſionis forſan in ſiniſtra manu tenenti, & ponderanti, videtur dubitationem ſolviſſe Pelagius Papa, ut olim Joanni Comiti, in hæc verba: *Dicenti ſacras juſſiones ſe habere præ manibus, reſpondimus: Scire illum oportere, quod ipſe clementiſſimus Princeps generalibus legibus conſtituerit, illa ſacra uniuſcujuſque ſupplicantis deſiderio conceſſa prævalere, & effe-* 119.

p.38. *ctui mancipari; quæ cum Juris & Legum ratione concordant: ea verò, quæ ſubreptione, vel falſis precibus forſitan impetrantur, nullum ſupplicantibus ferre remedium.* 22. q. 2. c. 16.

120. *Imperiali verò conſtitutione apertè ſancitum eſt, ut ea, quæ contra leges fiunt, non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint.* Gregor. papa, lib. 7. indict. 2. Epiſt. 7. 25. p. 2. c. 13.

121. Unde Imperatores, Theodoſ. & Valentin. ita ſtatuerunt: *Reſcripta contra Jus elicita, ab omnibus Judicibus præcipimus refutari; niſi fortè aliquid eſt, quod non lædat aliũ, & proſit petenti, vel crimen ſupplicantibus indulgeat.* Quę ſeculariũ Principum ſententia, tantopere placuit Eccleſiæ, ut etiam inter Canones inſereretur. 25. *q. 2. c.* 15.

122. Huic ergo tantæ Statutorum noſtrorum Potentiæ, neſcio quid amplius Adverſarii in ſuis Privilegiis opponere poſſint, quibus expreſsè, & evidenter derogatum, quod ita in uno exemplo deduco. Illud ſtatutum Gembicianum, *Regulares quoque intelligant, ſe Decimas ſolvere teneri de Bonis cum hoc onere poſſeſſis, &c.* Cum ſacra Congregatio Cardinalium legeret, & conſideraret, poſteáque Summo Pontifici referret, & explicaret, quod ex approbatione conſtat: optimè Summus Pontifex, & Cardinales, ſciverant, hæc eſſe contra Privilegia Exemtionum, tam Societatis, quàm aliorum; ſed quia ipſis juſtum, & æquum videbatur, ut Res cum ſuo onere tranſiret ad quemlibet Poſſeſſorem, ideo in eo nihil immutatum, ſed totaliter approbatum, & confirmatum, ad publicam Cleri utilitatem.

123. Quod ipſum illuſtriſſimo D. Epiſcopo Cracovien. non adeò pridem de iſtis Privilegiis Sacram Congregationem conſulenti, his verbis reſcriptum eſt:

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ſæpius cenſuit, Bona, & prædia, hujuſmodi Decimarum ſolutioni obnoxia, ad Regulares tranſire cum onere ſuo, ac proinde Regulares teneri illas ſolvere Parochialium Eccleſiarum

ſiarum Rectoribus , quemadmodum tenebantur Laici prius , quàm p.39.
Bona ipſa in ipſorum proprietatem tranſtulerunt.

Joan. Baptiſt. Pamphilius. Franciſcus Paulucius.
S. CC. Secret.

Et hìc fortaſſis Patres ſeipſos excipient , ex eo , quòd non ſit 124.
ipſorum ſpecifica mentio ; ſed ſciendum eſt , quod in Materia Communi , non ſolet Congregatio Catalogum Religioſorum ſcribere , ne fortè , ſi aliquem præteriiſſe contingat , per hoc ipſum videatur exemiſſe : ſed potiùs credo , illam ſpecificationem , etiamſi tales , vel tales , quod ſuo Nomini Patres deberi volunt , conſultò propter æqualitatem , omittere , ne videatur quiddam Excellentię, plus uni Religioni , quàm alteri tribuere, aut competere ; & in hoc alios prætereundo , quaſi offendere, qui ſimilia , aut fortaſſis majora habent Privilegia : *ut videre eſt apud Roderic. in nova Collect. Bullarum Religioſis conceſſarum.*

Et ita ad iſtas comparationes odioſas evitandas , ſufficit hæc 125.
univerſalis Congregationis declaratio. *Regulares, qui Bona cum hoc onere ſolvendi Decimas acquiſiverunt , tenentur ad eaſdem ſolvendas , prout,&c.* A qua communi Regula, fruſtra ſoli Patres ſeipſos excipiunt, niſi fortè non videantur ſibi Regulares. Sed etiam ſi eſſent Epiſcopi, non ideo eximerentur, cum noſtra ſtatuta etiã tales comprehendant. *Conſtit. Synod. lib. 3. c. Conquerentibus, fol. mihi* 193.

Contra hęc , luce meridianâ clarius evidentia , neſcio quid 126.
ampliùs opponi poſſit , quod ſi ulterius perſiſtant in ſua ſpecifica mentione , finaliter dico , *in illo Capitulo Conciliari nuper* , non fuiſſe nominatos Patres Societatis , ſed quia ipſius verborum Generalitas , penitùs tollebat eorum Exemtionem à Decimis , ideo P. Mercurianus Præpoſitus Generalis , non confidens ſpecificæ ſuæ mentioni, ſupplex ad Gregorium XIII. accedit , & poſtulat ſpecificam Legi Publicæ, pro ſuæ Religionis privato commodo , Derogationem , quam facillimè impetravit.

Unde

p.40. Unde Notandum hîc eſt, quod notant omnes autores, non
127. eſſe tanti momenti Privilegia, quæ per ſupplicationem conceduntur, & non poſſe comparari cum iis, quę fiunt motu proprio, & ex certa ſcientia Principis. hic enim precibus moleſtatus, plerumque importunitati concedit, quæ aliàs animo deliberato, & motu proprio, non conceſſiſſet. Et ideo ſi concedit aliquid, quod lædat alium, præſumitur circumventus per importunitatem poſtulantis. *Riccius Deciſ.* 339. *part.* 4. *per tot.*

128. Quod idem ipſe Gregorius XIII. teſtatur, ſuam quandam Bullam ita incipiens. *In tanta Rerum & Negotiorum mole, quâ Romanus Pontifex, ex omnibus Mundi partibus aſſiduè premitur, Vix evitari poteſt, ne aliqua interdum exſiliant. quibus poſtea Recognitis, neceſſe eſt Moderationis remedium adhibere.* Habetur *lib.* 5. *Synodal. Conſt.: fol. mihi* 405.

129. Unde valde Notandum, hunc Gregorium XIII. anno 1578. Patribus exemtionem, ad ſupplicationem P. Mercuriani, conceſſiſſe in Januario. quam eodem anno, 8. Aprilis, quoad nos revocavit, dum noſtra ſtatuta reviſa, & cum deliberatione emendata, contraria huic Exemtioni Decimarum, approbavit, & confirmavit, *ut ſupra, num.* 94. Non obſtant. Privilegiis, &c. Et exſecutioni demandari per Epiſcopos juſſit: Appellatione remotâ, &c. invocato etiam ſi opus eſſet, contra quoſvis rebelles & contradictores, auxilio Brachii ſecularis.

Et hæc credo ſufficere ad ſpecificam PP. mentionem.

V.

130. *Quintum, & ultimum Fundamentum*, eſt deſumtum ex illa prophetia Gregorii, quam ſcripſit Felici Epiſcopo, l. 12. epiſt. 31. *Teſtante veritatis voce, quæ ait: Omne Regnum, in ſeipſo diviſum, non ſtabit, & omnis ſcientia, & lex, adverſum ſe diviſa, deſtruetur*, 25. q. 2. c. 4.

131. Non potuit ſtare, ideo deſtructum eſt hoc Privilegium, tanquam

quam Juri Contrarium, à Leone XI. qui expreſsè Bullam hanc *p.*41.
Exemtionis à ſolutione Decimarum, incipientem *Paſtoralis*, Gregorii X I I I. prout de jure modificavit. Et licet Gregorius XV. neſcio quo reſpectu, reduxerit ad terminos dictæ Bullæ Gregorii X I I I. tamen S. D. N. Urbanus V I I I. viſus eſt nobis, uſus illâ laudabili proteſtatione, quam fecit Gregorius, Natali Epiſcopo, lib. 2. epiſt. 37. *Abſit à me, ut ſtatuta Majo-* 132.
rum, Conſacerdotibus meis, in qualibet Eccleſia, infringam; quia mihi injuriam facio, ſi fratrum meorum Iura perturbo. 25. q. 2. c. 10. Et ideo Bullam Leonis undecimi ſervari mandavit, excepto ſi Patres de Jure, vel conſuetudine Exemti reperirentur. *Novarius in ſua Lucerna Regular. ſub verbo Jeſuitæ, num.*24.*fol.mihi* 117. *Barboſ. Jur. Eccleſ. lib.*1.*c.*41.*n.*195. *Expreſſe Rota, in una Hiſpalenſ. Decimarum. inter Capitulum, & PP. Soc.* 26. *Novemb.* 1635. *Coram Coccino. Et in Cordubenſ. Decimarum, inter PP. Soc. & Ducem de Cardona*, 29. *Maji* 1638 *ad finem, coram Carillo.*

Hunc favorem, erga Clerum ſecularem, potiùs & Deciſio- 133.
ne Cracovienſ. quam Hiſpalenſ. aut Cordubenſ. intelligere debebamus, ſi nobis amicus Judex cum Patribus contigiſſet. Quod niſi fortè fortunâ, in volanti folio, aliunde nobis afferretur, hucuſque Leonis XI. & S. D. N. Urbani V I I I. tam ſingulare beneficium eſſet nobis incognitum.

Atque ita, ex deductis Juribus & Rationibus, omnibus Pri- 134.
vilegiis, & Exemtionibus à ſolutione Decimarum, exiſtimo ſufficienter clauſam eſſe Ianuam, ad Meſſem alienam.

Et hæc in genere, ad publicam Cleri noſtri utilitatem.

Deciſiones S. Rotæ Romanæ coram R. P. D. Cerro in cauſa Cracovienſ. Decimarum.

Lunæ 21. Maji 1640.

135. ORta controverſia inter Plebanum loci Golambiæ, & Rectorem Collegii SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Societatis Jesu Cracovienſ. ſuper Jure decimandi bona d. Collegii, deventum fuit ad concordiam, in qua Rector permiſit Plebano ex tunc, & in futurum liberam decimationem, ſub conditione tamen, quòd Plebanus teneretur ſolvere de proprio florenos 1300. pro obtinendâ revocatione excommunicationis, & banni-
136. mentorum relaxatorum ad ejus inſtantiam contra P. Albertum Mezinski ob prętenſam non ſolutionem decimarum, & inſuper illi conceſſit, quòd ejus vita durante poſſet qualibet hebdomadâ extrahere tres currus lignorum ex ſilvis Collegii, idque facere declaravit quodam ſinceritatis affectu, & amoris gratitudine, licet Plebano nullum jùs competeret in dd. ſilvis.

137. Cùm verò modernus Rector recuſâſſet tam decimas, quàm currus lignorum præſtare, cauſâ in partibus introductâ, & exindè per appellationem ad Rotam devolutâ, dubitavi: An concordia ſuffragetur Plebano loci Golambiæ, & Domini, *Informante tantùm Rectore.* negativè reſponderunt; quia cum domus, & Collegia Societatis Jesu, in vim Indultorum Apoſtolicorum ſint exemta, & immunia à quacunque decimarum ſolutione,
138. ut pluries fuit in hoc ſacro Tribunali diſcuſſum, & canonizatum, & in ſpecie *in alia Cracovien. coram Cardinali Seraphino.* in qua Rota declaravit prædictas domûs perſonas, & bona eſſe libera, exemta, & immunia à quibuſcumque decimis, & patres abſolvendos eſſe ab impetitis per Plebanum in Dobradenik, ut in ſententia in judicatum tranſacta. *Summ. num.* 1. Et omiſſis antiquis deciſi-

deciſionibus, fuit etiam firmatum *in Civitatis Caſtelli Decimarum.* 25. *Junii* 1626. *coram R. P. D. meo Ghiſlerio*, & recentiùs latiſſimè *in Cordubenſ. Decimarum de Lucena* 10. *Maji* 1634. 27. *Februarii* 1636. 30. *Januarii* 1637. *coram Reverendiſſimo D. meo Decano*, 27. *Maji* 1638. *coram R. P. D. meo Carrillo*, *&* 7. *Februarii* 1639. *coram R. P. D. meo Merlino*, *& in Granatenſ. Decimarum* 20. *Ianuarij* 1636. *coram Illuſtriſs. D. meo Patriarcha Conſtantinopolitano.* nullo modo poterat Rector ad hujuſmodi concordiam devenire in præjudicium Collegii. p.43.

Primò, ex defectu poteſtatis illius, quia Rector Collegii non 139. habet facultatem tranſigendi ſuper decimis, & renunciandi privilegiis, ac ſubjiciendi bona Collegii perpetuo oneri decimarum, inconſulto Reverendiſſ. Patre Generali, penès quem tota Religionis poteſtas reſidet. *Sanchez. ſuper decalog. lib.* 7. *c.* 27. *n.* 38. & in puncto ſimilis concordiæ initæ per alium Provincialem ejuſdem ſocietatis conſideravit *Rota coram Reverendiſſ. D. meo* 140. *Decano in d. Cordubenſ. Decimarum de Lucena* 10. *Maij* 1635. & confirmavit *in eadem* 29. *Maji* 1638. *coram R. P. D. meo Carrillo.* Cum enim privilegia fuerint conceſſa favore totius Religionis cum clauſula ſublata, & decreto irritanti, non potuit per ſolum Rectorem illis renunciari, *Felin. in c. cum acceſſiſſent. n.* 8. *de conſtit. Natt. conſ.* 160. *n.* 46. *lib.* 1. *Rota deciſ.* 63. *n.* 10. *part.* 5. *recent.*

Secundò, ex defectu beneplaciti Apoſtolici, ac etiam juſtæ 141. cauſſæ, evidentis ſcilicet utilitatis, dum Rector diſpoſuit contra libertatem, & exemtionem Collegii, illud ſubjiciendo dd. oneribus, abſque ulla prorſus retributione. Quinimò in quantum 142. conceſſit jus lignandi in ſilvis Collegii, voluit exercere liberalitatem etiam ſi certò ſciret, Plebano nullum jus competere, quę duo copulativè requirebantur, ut poſſit ſuſtineri alienatio rerum, & jurium Eccleſiæ. *cap.* 1. *de reb. eccleſ. non alien. in* 6. *Clem.* 1. *eod. tit. DD. in cap. ſine exceptione.* 12. *qu.* 1. *ubi latiſſimè Laurentius*

p.44. *rentius de Rodulphis in 3. q. Covar. var. reſol. lib. 2. c. 17. n. 2. Rota coram Card. Seraph. deciſ. 508. n. 1. & in recent. deciſ. 430. n. 4. part. 2. cum alijs per Adden. ad Buratt. deciſ. 690. ſub n. 18.* Idque etiamſi fiat vigore concordiæ, & tranſactionis. *Frederic. de Sen. conſ. 94 per tot. Cravett. conſ. 323. n. 1. verſ. dico quod Prælatus plenè. Grat. diſcept. forenſ. cap. 846. n. 6. & 7. Verall. deciſ. 318. par. 3. & fuit dictum in Mediolanenſ. reſciſsionis permutationis* 10. *Januarii.* 1597. *coram bon. mem. Card. Pamphilio. penes Marcheſ. de commiſſ. part.* 1. *fol.* 112.

143. Cum enim per hujuſmodi concordiam concederetur Plebano jus decimandi, & Collegium privaretur exemtione ſibi competente, negari non poteſt, quin hæc eſſet ſpecies alienationis rei Eccleſiaſticæ, in qua propterea debent intervenire eædem ſollemnitates, quę in alienatione deſiderantur, cum idem ſit jus certum remittere quod alienare. *Bart. Caſtrenſ. Jaſ. & alii. in l. nulli. ff. de tranſact. Pinell. in l. 1. part 3. n. 45. C. de bon. matern. Ant. Gomeſ. in l. Tauri 40. n. 86. pleniſſime Gratian. diſcept. forenſ. cap. 476. n. 16. & d. cap. 846. n. 8. cum ſeqq. Verall. deciſ.* 106. *part.* 1. *Adden. ad Greg. deciſ. 418. n. 17. Reverendiſſ. D. meus Decanus deciſ.* 30. *n.* 1. & in hac tranſactionis initæ ſuper Decimis. *Rota deciſ. 362. n. 3. coram Reverendiſſimo D. meo Decano, & in Spoletana Decimarum de Mevania 14. Novembris 1638. coram R. P. D. Panzirolo,* Etiamſi alienatio fieret favore alterius Eccleſiæ. *Seraph. deciſ. 22. Rota in Neapolitana Spolii 3. Iunii 1610. coram Cardinali Lancellotto, in Treveren. bonorum 15. Maji 1621. coram bon. mem. Dunozetto, in Elnen. diſtributionum 4. Decembris 1634. coram bon. mem. Buccabella, & in Tarraconen. Cappellan. 28. Februarii 1636. coram R. P. D. meo Pirovano.*

144. Nec viſum eſt relevare, quòd Reverendiſſ. Nuncius interfuerit huic contractui, illumque ſuâ auctoritate confirmaverit, aſſerens tendere potiùs in utilitatem, quàm in damnum utriuſque partis; quia licet Nuncius Apoſtolicus habeat poteſtatem Legati de latere, tamen non poteſt authorizare alienationem rerum Eccleſiæ,

cleſiæ, quia hoc eſt de ſpecialiter reſervatis Papæ, *in vim Extravagantis Ambitioſæ, de reb. Eccleſ. non alien.* ut tradit *Gambar. de offic. & poteſt. Legat. de later. lib. 2. tit. de var. ordin. nom. num.* 415. *inter tractatus magnos. tom.* 13.*part.2.fol.*156. Præſertim quia detegitur ejus aſſertio erronea, cum aſſ. utilitas nullibi juſtificetur, imò ex prędictis convincitur, conditionem Collegii fuiſſe effectam deteriorem. *Bart. in l. ſed & ſi Præſes.* C. *de prædiis minor. Alex. conſ.* 69. *lib.* 3. *Honded.conſ.* 32. *n.* 111. *lib.*1. *Menoch.conſ.*314. *n.* 27. *Greg. deciſ.* 496. *n.* 11. & 12. p.45. 145.

Prętcrea viſum fuit DD. Concordiam ſuffragari non poſſe; quia cum fuerit inita ſub ea conditione, quòd Plebanus teneretur ſolvere florenos 1300.& obtinere revocationem bannimentorum,non docto adimplemento ex parte ſua,non poteſt agi vigore illius.*Rolan. à Valle. conſ.* 53.*n.* 17. *lib.* 1. *Gozad.conſ.*1. *in princ. Pariſ. conſil.*33.*n.*17. *lib.*1. *Rota deciſ.*369. *n.*1.*in princip. par.*4.*diverſ. & deciſ.* 397. *n.* 13.*par.*5.*recent.* Præcipuè cum verſemur in contractu, cujus omnes partes ſint invicem correſpectivæ, quia tunc unum cenſetur promiſſum contemplatione alterius, & eatenus obligationes ligant,quatenus omnes obſerventur.*Cravett. conſ.*461.*n.*39. *Gratian. diſcept.forenſ.cap.*759.*n.*11.& 12.& *Rota deciſ.* 428. *n.* 3. *part.* 1. *recent.* 146. 147.

Denique cum in tranſactione adjecta fuerit clauſula,citra tamen præjudicium quorumcumque jurium utriuſque partis, & ſucceſſorum,dictum etiam fuit concordiam fuiſſe merè perſonalem; & proinde ex ea nullum fuiſſe illatum præjudicium ſucceſſori, cui fuit jus expreſsè reſervatum. *Oldrand. conſ.* 237.*n.* 9. *Pariſ.conſ.* 23.*n.*142.*lib.*1. *Seraphin. deciſ.* 144.*n.*6. & *in Bonon. fideicommiſſi de Deſideriis,coram R. P. D. meo Merlino, quæ eſt deciſ.*11.*n.* 20. *par.*5. *recent.* 148.

Et ita, Unâ tantùm parte informante, &c.

In eadem, coram eodem.

Mercurii 4. Iulii 1640.

149. SUb die 21. Maji proximè præteriti Rota coram me cenſuit, Concordiam non ſuffragari Plebano loci Golambię, ſuper jure decimandi bona Collegii SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Societatis J E S U Cracovienſis.

150. Et licet poſtea ex parte ejuſdem Collegii inſtaretur pro expeditione; Plebanus verò peteret dilationem, placuit DD. nihilominus novam audientiam concedere. Mandantes tamen, quia Procurator partis adverſæ ſępius citatus, nunquam informare voluerat, ut rurſus proponeretur in hac Rota, in qua etiam Plebano non informante, voluerunt capere reſolutionem perſiſtendo in deciſis.

151. Quia ex deductis in deciſione exemtio Collegiorum Societatis J E S U remanet extra controverſiam, & apparet tranſactionem ſuper decimis per Rectorem tunc temporis factam eſſe reſcindendam, nec viribus ſubſiſtere ex defectu beneplaciti Apoſtolici, juſtæ cauſę evidentis ſcilicet utilitatis, ac etiam facultatis Rectoris ſuper iis, nec minus ſuper juribus ad Collegium ſpectantibus tranſigendi, *non obſtante, quòd intervenerit conſenſus, ac licentia P. Provincialis*, cum iſta facultas reſideat in ſcrinio pectoris Reverendiſſimi Generalis ſupremi, & abſoluti Moderatoris totius Religionis, ut latè fuit comprobatum in deciſione.

Et ita, Unâ tantùm parte informante, &c.

Sententia R. P. D. Cerri in eadem Cauſſa.

152. CHRISTI NOMINE INVOCATO. Pro tribunali ſedentes, ſolumque Deum præ oculis habentes. Per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam de Domino-

rum

rum Coauditorum noſtrorum conſilio, voto, & aſſenſu ſcrimus, p. 47.
in his ſcriptis in cauſa & cauſis, quæ primò & in prima coram Ordinario Cracovienſi, ſecundò & in ſecunda coram Domino Nuncio Apoſtolico in illis partibus commorantur, & demum coram nobis, ſeu aliâ veriori verſæ fuerunt, ac vertuntur inſtantiâ inter Rectorem, & Collegium Patrum Societatis Iesu Cracovien. ex una; & aſſertum Parochum, ſeu Plebanum loci Golambiæ ex altera, de & ſuper Decimis per dictum Plebanum prętenſis, & præſertim manipularibus omnis grani, & ſeminis ex agris, & araturis tam prædialibus, quàm Cmetonalibus, Villa- 153.
rum Zerzyn Pogonero, Boriſton, Thromuroſka, Jerla, Dizezovice, & Hilezanlca, aliiſque bonis, ac invaliditate aſſertę tranſactionis ſeu Concordiæ, alias initæ inter eum, & Rectorem dicti Collegij, de qua in actis rebuſque aliis, &c. dicimus, pronunciamus, decernimus, & declaramus, non fuiſſe, nec eſſe lo- 154.
cum petitis ex parte dicti Plebani, & prædictam tranſactionem, ſeu Concordiam fuiſſe & eſſe nullam, & invalidam, nullumque Jus, nullamque actionem vigore illius eidem Parocho, ſive Plebano competiiſſe, neque competere, ipſumque Collegium, ejuſdem Rectorem, Patres, & bona quomodolibet ad illud ſpectantia, fuiſſe, & eſſe libera, exemta, & immunia à ſolutione decimarum, per dictum Parochum; ſeu Plebanum prætenſarum, ac uti tale tales, ac talia conſervandum & manutenendum, conſervandos & manutenendos, conſervanda & manutenenda forē & eſſe, ipſique Parocho, ſeu Plebano, ejuſque ſucceſſoribus arctius inhibēdum, ne ulterius illud, illas, & illa moleſtent, prout nos inhibemus, & conſervari, ac manutineri, necnon inhiberi ſingula ſingulis congruè referendo volumus, & mandamus, mandatumque, & mandata ac inhibitiones, aliaque quæcumque quomodolibet neceſſaria, & opportuna decernimus, & concedimus, ſententiaſque ſeu decreta, quæcumque contra dictum

p.48. ctum Collegium, ſeu ejus Rectorem, & Patres in partibus latas, ſeu facta his contraria revocamus, & abolemus, moleſtationes quoque perturbationes, ác impedimenta, quæcumque per dictum Parochum, ſeu Plebanum dicto Collegio, ſive ejus Rectori, & Patribus illatas, & illata fuiſſe & eſſe nullas, & indebitas, nulla, & indebita, ac de facto præſumtas, & præſumta, illaſque, & illa facere, & inferre minimè licuiſſe, neque licere, perpetuumque ſilentium illi imponendum fore & eſſe, ac imponimus victumque victoribus in expenſis, & in decimis forſan de facto exactis condemnamus, quarum reſpectivè liquidationem, taxationem, & moderationem nobis, vel cui de jure in poſterum reſervamus, & ita dicimus, &c. non ſolùm prædicto, ſed & omni alio meliori modo, &c.

Ita pronunciavi Ego Carolus Cerrus Sacræ Rotæ Auditor. (Sed inaudito Plebano.)

Romæ, Ex Typographia Rev. Cam. Apoſt. 1640.
SUPERIORUM PERMISSU.

Reſponſio ad Deciſiones S. Rotæ Romanæ, coram R. P. D. Cerro, in Cauſſa Cracovienſi Decimarum; pro meliori ejuſdem informatione.

155. DIxi ſuprà, confiſus validitati rationum, quarum per ſe unaquæque ad reſiſtendum cuilibet privilegio, in Materia Decimarum, viſa eſt ſufficere, clauſam eſſe januam Exemtionibus: ſed inſpecta & conſiderata ſuperior Deciſio, de ingenio humano illud dicterium venit in mentem: Si Malo clauſeris oſtium, intrabit per feneſtram.

156. Quod video, perſpecto Deciſionum R. P. D. Cerri fundamento,

mento, quod à Concordia, cum Patribus per Plebanum initâ, p. 49.
ſumpſit originem, cum tamen ſciens, ante Concordiam, ut ipſe in principio aſſerit, Excommunicationem & Bannimenta fuiſſe relaxata ad inſtantiam Plebani, contra P. Albertum Mezynski, ob prætenſam non ſolutionem Decimarum, meo judicio, inquirere debuiſſet, quid illud primi Juris erat, quod Excommunicationi & Bannimentis occaſionem præbuit, & ex hoc Concordia, aut erat probanda, aut arguenda. Quod ipſa ratio dictat, & Rota in ſimili caſu Concordiæ aſſeruit, *Deciſ.* 14. *part.* 2. *Diverſ. in princip.*

Fontem inveniſſet, ut ſupponere poſſum, TitulumPlebani, cui 157.
ratione ſui Beneficii in vim aut Fundationis, aut Dotationis, aut Donationis, aut alterius alicujus ſpecialis Tituli, Decima debebatur, ex prædiis à Patribus cum hoc onere poſſeſſis. Quæ ingenioſa ſubtilitas humana, animadvertens ſuperioribus rationibus ſatis eſſe firmata, & ita privilegio Exemtionis clauſam fuiſſe januam, ad feneſtram Concordię deventum eſt.

Cui non dubito, informatio ipſius D. Plebani in Golamb fer- 158.
reas Crates oppoſuiſſet; ſed quia pro tunc haberi non potuit, nos interim ligneas craticulas opponimus, ex ipſa deciſione deſumtas, quod ita oſtendimus. Tota baſis rationum R. P. D. Cerri in his verbis fundatur, ſupra n. 143. *Cum enim per hujuſ-* 159.
modi concordiam concederetur Plebano Ius Decimandi, & Collegium privaretur Exemtione ſibi competenti, negari non poteſt, quin hæc eſſet ſpecies Alienationis Rei Eccleſiaſticæ, in qua propterea debent intervenire eædem ſollemnitates, quæ in alienatione deſiderantur, cum idem ſit Ius certum remittere, quod alienare, ut ſuprà n. 143.

Ad quod ita Reſpondeo.

PRocederet optimè dicta Deciſio, ſi illa Concordia eſſet 160.
Origo Juris Decimandi, & Parochus, alio Jure anteriori,

G non

p. 50. non poſſet eas prætendere. Sed quia fuit aliud Jus ante Concordiam, vigore cujus D. Plebanus movit litem Patribus Societatis, pro Decimis ſibi debitis, eorumque procuratorem Privilegia opponentem, & ſolvere reluctantem, ad Ex-
161. communicationem in Foro Eccleſiaſtico, & in Tribunalicio ad Bannimenta reduxit; ideo hæc Alienatio, videtur mihi ſimilis illi perditioni, quæ cuidam noſtro Magnati accidit in Judiciis tribunalitiis, qui cùm multa bona poſſideret, quæ ad alios potiori Iure pertinebant, occaſione eorundem in Jus vocatus, confiſus ingenio & dexteritati ſui Procuratoris, perſonaliter in judicio ſtetit, ubi cum contraria ſuæ opinioni Decreta ſentiret, hæc verba dixit: *Et ita Domine Procurator perdimus?* Cui Procurator reſpondit: *Non perdimus, ſed aliena reſtituimus.* Ita prorſus in noſtro caſu, non eſt Alienatio, ſed Alieni Reſtitutio.

162. Inde ſequitur, per eandem ſolam Concordiam, non fuiſſe privatos PP. Soc. Exemtione ſibi competenti, quia ante hunc Contractum, jam erant privati ipſo Iure, *ex ſupra-dictis rationibus. à n.* 55. *uſque ad n.* 134. Et peculiariter in Regno Poloniæ vigore Statutorum noſtrorum, à diverſis Romanis Pontificibus, & ipſo Gregorio XIII. confirmatorum. *Non obſtantibus Privilegiis, & aliis quibuſcunque, Appellatione remotâ, cum Decreto irritanti, ſi ſecus, &c. invocato etiam in ipſorum exſecutione, ſi opus eſſet, auxilio brachii ſecularis, contra quoſvis rebelles, & parere recuſantes, tam ſeculares, quàm regulares, &c.*

163. Quod verò ibidem dicitur in fine n. 143. *Cum idem ſit Jus certum remittere, quod alienare.* Hoc Ius non procedit in noſtro Caſu, non enim poteſt dici Ius certum, quod in litem deductum eſt, & quod inſtantiæ D. Plebani, non potuit in Foro competenti reſiſtere; imò fortiori Iure Plebani adeò debilitatum, ut in Excommunicatione & Bannimentis mortificatum, & annihilatum, non potuerit Patribus Soc. afferre aliam ſalutem, præter Concordiam. Quod infrà melius patebit.

Quo

Quo fundamento Deciſionum, nulliter, tanquam in erronea ſuppoſitione fabricato, & omnia alia quæ ſuperædificata ſunt, facile corruent. p. 51. 164.

Itaque Contractum Concordiæ cum Plebano P. Rectorem Collegii potuiſſe facere, & illi privilegia non obſtare, probatur autoritate Hadriani Papæ, qui Vigorien. & Herforden. Epiſcopis ita reſcripſit: *Ex multiplici conqueſtione V. Preſbyteri accepimus, quòd cum inter Abbatem de Brudeia de conſenſu totius Conventûs, & prædictum Preſbyterum talis interceſſerit Conventio, ſcripto Monachorum authentico roborata: quod Monachi dicto Preſbytero, & Eccleſiæ ſuæ de Blado & univerſis leguminibus, quamdiu viveret, Decimas perſolverent, exceptis minutis Decimis, quas idem Preſbyter quietas clamavit. Idem Abbas à nobis privilegium obtinuit, ut de laboribus, quos propriis manibus aut ſumtibus excolunt, nulli decimas ſolvere tenerentur:* Et infrà, &c. *Unde quia non fuit noſtræ intentionis, per Privilegium noſtrum Conventioni derogare prædictæ: Mandamus, quatenus Abbatem & Monachos, ut eandem Conventionem (non obſtante dicto Privilegio, niſi de ipſa contineatur in eo) inviolabiliter teneant, & obſervent: vel exinde ſecum pacificè conveniant, appellatione propoſitâ, compellatis.* c. Ex multiplici, de Decimis. 165. 166.

Et hic eſt tertius modus perdendi privilegium, ex conventione, ſeu pactione partium, *ut notat Alenſis, Angel. & Sylveſt. in d. c. Ex Multiplici, de Decimis. Suarez de Relig. lib. 1. de Decimis, c. 20. n.* 5. Dicunt aliqui prædictum cap. procedere in conventione, quæ præceſſit privilegium, non verò de ea quæ ſubſecuta, quia tunc non videtur poſſe tolli per partium Conventionem, ſi in favorem Religionis conceſſum eſt, quia tunc illa conventio, ex parte Religionis, eſſet quædam expreſſa Renunciatio, quæ fieri non poteſt. Quod notat Suarez, *loco ſupra-citato*, & ita reſpondet objectioni. 167. 168.

Dicendum nihilominus eſt, tale pactum eſſe poſſe validum, & 169.

 legi-

p.52. *legitimum, & tunc ſine dubio amitti, vel limitari Privilegium, juxta conditiones pacti. Probatur. Quia talis conventio non eſt per ſe mala, ſupponimus enim eſſe liberam ab omni labe Simoniæ; neque etiam eſt ullum Ius poſitivum, quod talem conventionem prohibeat, imò in multis caſibus, Ius illam conſulit, ut patet ex c. c. Dilecti. & Sug-*
170. *geſtum. Et alioqui poteſt eſſe Conventio rationabilis, & utilis utrique parti. Ergo per illam poterit tolli Privilegium. Neque illa dici poteſt abſoluta, & quaſi liberalis Renunciatio, de qua objectio procedit, ſed juſta conventio, quæ ſemper intelligitur eſſe congrua Religioni: unde quia talis conventio, non eſt contra Commune Ius ſolvendi decimas, ſed potiùs ſecundùm illud, ideo non videtur neceſſaria Confirmatio Papæ, vel Alterius Prælati, præter illum, qui ordinariam poteſtatem habet, ad ſimilia pacta cum debito modo, & ſollemnitate facienda.* Et hæc omnia de verbo ad verbum Suarez, loco ſupra-citato.

171. Quem ſequitur Fillucius Soc. IESU Romanus Theologus, ita dicens: *Tertius modus amittendi Privilegium eſt, ex Conventione partium, quæ ſubſequatur Privilegium, quæ Conventio legitima eſſe poteſt, nec requiritur ad eam Confirmatio Papæ; quia eſt in favorem Iuris Communis.* Tract. 27. par. 2. de Præcepto Iejunii, & Decimarum c. 8. n. 185.

172. Superiores autoritates & rationes, in quibus ſe fundant prædicti autores, juxta allegationem eorundem, deſumtæ ſunt ex Canonibus, *Dilecti*, & *Suggeſtum.* de Decimis. ſed quoniam ex capite eorum non cognoſcitur, quid in ventre contineatur, totam ſubſtantiam popularibus meis Lectoribus, hîc exprimendam duxi, ne faciam moleſtiam in recurrendo ad textum, & rarus eſſet, qui id faceret, ob penuriam apud nos librorum, & plurimum faciunt ad noſtram Materiam, quæ ſunt tenoris ſequentis.

Alexan-

Dilecti Filii, Abbas & Fratres S. Crucis ſuâ nobis conqueſtione monſtrârunt, quod prædia, unde Decimas, & in magna parte ſuſtentationem conſueverunt habère, à pleriſque laicis conduxiſtis, & recepiſtis ad Firmam. Unde quoniam iidem Fratres ex hoc gravantur enormiter, nec fuit intentionis noſtræ, aut Anteceſſorum noſtrorum, ut de poſſeſſionibus, quas conduxiſtis, Decimas non ſolvatis. Mandamus, quatenus de prædiis, quæ conduxiſtis in Parochiis ſuis, de quibus conſueverunt Decimas percipere, plenariè ſolvatis eiſdē, vel cum ipſis amicabiliter cōponatis. 173.

Idem Abbati & Fratribus Dolon.

Suggeſtum eſt ex parte veſtra, quòd Abbas, & Fratres Monaſterii, de Urſin. Decimas à vobis auferre conantur, & infra. *Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus cum prædicto Abbate & Fratribus ſuper ipſis Decimis componatis. Nam quando Romana Eccleſia Ordini veſtro privilegia de Decimis dederat, ita erant Abbatiæ raræ veſtri Ordinis, quòd exinde nulli poterat, de Jure, ſcandalum ſuboriri: ſed nunc in tantum augmentatæ ſunt, ac poſſeſſionibus ditatæ, quòd Multi viri Eccleſiaſtici, de vobis, apud nos querelam ſæpe proponunt.* Decretal. lib. 3. de Decimis. tit 30. c. 8. & 9. 174.

Et ſic his autoritatibus confunduntur duæ Deciſionis rationes, *prima* ex defectu poteſtatis, *ſecunda* ex defectu Beneplaciti Apoſtolici, quoniam clarè Suarez & Fillucius, expreſsè in noſtro caſu, docuerunt contrarium, & Canones ſuprà citati continent in ſe. Beneplacitum Apoſtolicum, dum in controverſis Decimis, cum Eccleſiis, quibus de Jure debentur, jubent fieri compoſitionem, nec aliquid ampliùs, circa hunc actum, ſedi Apoſtolicæ reſervant. 175.

Ad Auctoritates allegatas non reſpondeo, quia non procedunt in caſu noſtro; quia Jus Plebani, non conſiſtit in ſolo concordia, tanquam Origine Iuris Decimandi. 176.

p. 54. Ad Autoritatem Rotæ, in Cordubenſ. Decimarum, dico,
177. diverſam eſſe rationem, quia ibi D. Dux, uti perſona Laïca, fuit incapax Decimarum, & per ſolam immemorabilem, non potuit capax fieri, ultra quam, non potuit oſtendere alium titulum. Ut coram Coccino, 27. Feb. 1636. Secus in noſtro caſu, ubi intercedit perſona Plebani, quæ habet aſſiſtentiam non ſolùm Iuris Communis, ſed ſpecialis noſtri Provincialis, & ſpecialiſſimi ſui Beneficii, Fundationis, Dotationis, aut Donationis, cum poſſeſſione immemorabili, & pacificâ.

178. Valde autem miror, in illa deciſione Cordubenſi ea quę videbantur eſſe contra nos, allegari; ea verò quæ faciunt pro nobis, ſilentio prætermitti. Unde vellem mihi aſſignari cauſam, quare illud in cauſa Plebani occultatum ſit, quod in cauſa D. Ducis, in fine prędictæ deciſionis Cordubenſis expreſſum eſt, ubi talia verba invenio: *Nec adverſantur moderationes Privilegiorum factæ per S. Memoriæ Leonem XI. & S. D. N. Urbanum VIII. Quoniam emanârunt ad favorem Eccleſiaſticorum, & ita non extenduntur ad Laïcos, qualis eſt Excellent*mus *D. Dux de Cardona.* 29. Maji, 1638. Coram Carillo. Cauſa in promtu eſt, nihil ſtudioſiùs fuiſſe cogitatum, quàm ut Plebanus Decimâ privaretur, & ideo judicatus ut Laïcus, non verò ut Eccleſiaſticus. Hoc ſi alteri contingeret, fortaſſis illud, decipi nolentibus Commune, dixiſſet: *Non ſon mica Polaco.* Quam de nobis parabolam, cùm ſæpius ego ipſe in Italia, moleſtè ferrem, & cauſſam dicti inquirerem; Reſponſum, non ingenio hominum, ſed magnæ diſtantiæ loci vitium dari. quæ facit, ut peregrini ex remotioribus mundi partibus facilius decipiantur, antequam uſum rerum experiantur.

179. Et in noſtra præſenti Materia, eidem diſtantiæ loci attribuendum eſt, quòd tardius injuriæ nobis illatę reſpondeamus, ad quam redeundo, dico, ex ſuperius allegatis conſtare, Con-

ven-

ventionem Patrum cum Plebano, quam jus non ſolùm non pro- *p.*55.
hibet, imò expreſsè conſulit, & jubet, non recto judicio, ſub
prætextu Alienationis, quæ in noſtro caſu verificari non poteſt,
trahi ad Caſum Papæ reſervatum, in vim Extravag. Ambitioſæ.
Cum in Materia Decimarum, expreſsè contrarium legamus 180.
Decretum Pontificium, quod eſt tale Alexandri Tertii : *Statuimus, ut ſi ſuper Decimis inter vos, & aliquam perſonam Eccleſiaſticam, de aſſenſu Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, Compoſitio facta fuerit, rata & inconcuſſa perſiſtat. c.* 2. *de Tranſact.* ubi gl. caſum ponit cum Collegio, & Eccleſiaſtica perſona. Quod in noſtro caſu, à fortiori procedit argumento, ob interventionem & confirmationem ipſius Illuſtriſſimi Domini Nuncii Apoſtolici, Quem in hoc puncto graviſſimâ affectum injuriâ, non exaggero, in partibus ultramontanis, ubi Papa facilè conſuli non poteſt, paria privilegia Romano Pontifici habentem. *juxta Gamb. de Off. & Pot. leg. de latere, lib.* 5. *fol. mihi* 137. *n.* 26. Et omnium Exemptorum Prælatum, & Dominum. *Idem Gambar. lib.* 8. *in fine. n.* 36. & 37. Tametſi in caſu Alienationis, etiam ubi adeſt juramentum non Alienandi, poſſe Legatum authoriſare, docet Redoan. *De Rebus Eccleſ. non alien.* q. 55. &
particulariter de Regularibus, ita ibidem loquitur, *Et inquit* 181.
Abbas: hæc nota, quia faciunt ad multa, maximè pro Exemtis, habentibus Superiorem in remotiſſimis partibus, & cæt. n. 36. ad finem.

Unde Contractum in præſentia ſua per R. P. Rectorem, 182.
nomine Collegii, cum Plebano ſtabilitum, nomine provinciæ, per R. P. Præpoſitum Provincialem approbatum, & ſuâ auctoritate, tanquam utilem utrique parti, confirmatum, & cum tanta ſollemnitate expeditum. Miror, quomodo D. Cerrus inculpare potuerit, & Nuncio circa Contractum præſenti, aſſertionem erroneam utilitatis, tanto Viro imputaverit, ex eo, quod

*p.*56. aſſerta utilitas nullibi verificetur. *ſupra n.* 145.

183. Quæ utilitas ex Deciſione ipſa, primo intuitu, maximi momenti fuiſſe, facilè colligitur, ſtante enim, ut in ipſa deciſione aſſeritur, quòd cauſa fuerit uſque ad Excommunicationem, & Bannimenta redacta, nemo eſt, qui conſiderans non intelligat, Patres Soc. fuiſſe Parocho debitores, cui in illo puncto Bannimentorum, & retenta Decimarum jam erant ſalva, & ratione Proceſſûs juxta legum publicarum Regni noſtri præſcriptum, lucra, perlucra, uberrimam recompenſam ſui ſumtûs, & damnorum promittebant: Hæc tamen omnia Bonum Plebanum, Patribus condonâſſe, & à Bannimentis eliberâſſe, non leve, apud omnes earundem legum peritos, argumentum eſt, dum in ſuperabundanti (Credo quòd parandæ benevolentiæ, & amicitiæ cauſsâ, aut potiùs intuitu lignorum) etiam 1300. florenos Patribus conceſſit.

184. Non enim credibile eſt, R.P. Rectorem, in Ius vocatum, Proceſſatum, Excomunicatum, & Bannimentis læſum, tam ſubito ſinceritatis affectu reformatum, & amoris gratitudine adductum, tres currus lignorum, vitâ ipſius durante, Plebano conceſſiſſe, niſi ſingulari Beneficio, & largâ liberalitate, eidem eſſet obſtrictus: qui enim alienas decimas, uſque ad punctum Excommunicationis, & Bannimentorum, Plebano negavit, perſuadere mihi non poſſum, ut ſua ligna gratis eidem concederet, proteſtatus tantum ſinceritatis affectum, & amoris gratitudinem.

185. Et in his non dubito, utriuſque partis utilitatem ab Illuſtriſſimo D. Nuncio aſſertam verificari, quòd Plebanus, Decimâ recuperatâ, & ligna à Patribus, cum tanto amore, & ſinceritate haberet; Patres verò à Plebano, præmiſsâ gratuitâ lucrorum & Retentorum quietatione, etiam mille trecentis florenis potirentur. Iuxta tamen conſuetudinem noſtram, Veriſimilius eſt, victorem cauſæ, Plebanum accepiſſe, ſed textus deciſionis ſequendus.

Ideo

Ideo quod dicitur ſupra,n.136.Rectorem Plebano liberam De- p.57.
cimationem permiſiſſe,ſub conditione tamen,quòd Plebanus te- 186.
neretur ſolvere de proprio florenos 1300.pro obtinenda revocatione Excommunicationis, & Bannimentorum, relaxatorum ad ejus inſtantiam, contra P. Albertum Mezinski: exiſtimo Rotam, hac in parte, malè fuiſſe informatam, cùm in hoc caſu, non pecuniâ victoris, ſed quietatione, in noſtris judiciis, opus eſſet, in quantum debitor victori, in omnibus efficaciter ſatisfecerit, vel cum eo amicabiliter compoſuerit.

Unde ſine fundamento, his Decimis conditio apponitur,cum 187.
de Jure, merè & ſimpliciter, abſque ulla conditione, præſertim in pecunia conſiſtente, Decimæ beneficiatis debeantur, & ita apud nos ſolvantur.

Inutiliter enim Plebanus feciſſet,ſi ratione Decimarum, quas 188.
jam per ſententiam, & pœnam Excommunicationis, & Bannimentorum, lucratas habebat, aliquid Patribus promiſiſſet,quoniam ab eis Debitores liberari non poterant, niſi & Decimas, & damna, volente Plebano, ſolviſſent.

Ex his duo emergunt Notabilia. Primo antiquum, & manife- 189.
ſtum Jus Plebani. quo motus anterior Judex, debitores excommunicavit, & Bannimentis caſtigavit, non abſque magno fundamento, dum Illuſtriſſimus D.Nuncius potiùs concordiæ, quàm abſolutioni operam dedit. Ut ipſe aſſerit, contractui præſens, eam procul-dubio aliàs conceſſurus, niſi manifeſtam, & ſufficientem obligationem Debitoris cognoviſſet.

Secundùm Notabile eſt, videlicet neceſſitas conveniendi: ut Pa- 190.
tres à Cenſuris liberarentur,ne in ipſis diutiùs inſordeſcerent. Et utilitas, ex concordia, ſolis Patribus, non verò Plebano proveniens:ut quod Judex per ſententiam, ratione lucrorum, perlucrorum, damnorum,retentorum reſtituendum Plebano,abſque dubio, decreviſſet, hoc per concordiam, amicorum interceſſione,Patribus à Plebano remitteretur.

p.58. Quam non vulgarem utilitatem, facilè R. D. Cerrus cognoviſſet, ſi tempus non præſens, ſed paullò antiquius reſpexiſſet, ſiquidem ad effectum dignoſcendi, an utilis, vel læſivus fuerit contractus, tempus ipſius præciſum, quo actus eſt, attendi debet, non verò ſubſequens. juxta Rotam *Deciſ.* 81. *n.* 34. *par.* 6. *diverſ. coram D. Merlino.*

191.

192. Cui Illuſtriſſimum D. Nuncium auctoritatem ſuam interpoſuiſſe, & Plebanum lucra, per lucra, damna, & retenta, abſque ſatisfactione remittere reluctantem, ad Conſenſum induxiſſe, præſumendum eſt; quoniam contractui præſens aderat, cumque ſuâ autoritate, tanquam utrique parti proficuum, confirmavit. pro quo beneficio nunc illi erronea aſſertio, indubitatæ (Ut præmiſſum eſt) Neceſſitatis, & utilitatis, cum maxima tanti viri læſione, imputatur.

193. Potiùs crediderim, occaſione lignorum, aliquid inter Contrahentes actum eſſe, & Plebanum hac commoditate, habendi tres currus lignorum, qualibet ſeptimanâ, permotum, ad Inſtantiam Amicorum, & lucrata Patribus condonâſſe, & 1300. florenos numerâſſe, aut promiſiſſe, quod non temerè colligo, ex

194. his verbis ipſius Deciſionis: *Et inſuper illi conceſſit, quòd ejus vitâ durante, poſſet, qualibet hebdomadâ, extrahere tres currus lignorum, ex Sylvis Collegii, idque facere declaravit, quodam ſinceritatis affectu, & amoris gratitudine, licet Plebano nullum Ius competeret in dictis Sylvis.* Unde Rota animadvertere poterat, ſi ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, conſiderâſſet, Ius lignandi Rectorem plebano conceſſiſſe, non abſque retributione, quod ſuprà non agnovit. n. 142.

195. Quod jus lignandi, cùm videatur eſſe nova conceſſio, ſupponimus enim alio jure, quàm contractus, Plebano ligna non deberi; procederent in hoc puncto rationes Deciſionis, niſi tantæ ſollemnitates adhibitę in contractu, eundem vehementer roborâſſent. Dum Rector nomine Collegii ſtabilivit, Prępoſitus

tus Provincialis nomine Provinciæ, & fortaſſis nomine ſui Generalis, cujus vices in Provincia videtur gerere, approbavit. Et Nuncius Apoſtolicus ex cauſa utilitatis confirmavit, qui actus tam ſollemnes, toties multiplicati, meo judicio videntur firmum jus ſignandi Plebano tribuiſſe, quoniam non gratis conceſſum, & poſſeſſoribus tanti numeri terrarum, ſi velint ſtare contractui, non poſſit hoc eſſe onerosum. p. 59.

Et ita per iſtam tam ſollemnem Concordiam, cenſetur finis impoſitus omnibus controverſiis. *Rota apud Seraph. Deciſ.* 1008. *n.* 3. Cuilibet enim liberum eſt contrahere, at poſt Contractum celebratum, nemo ab eo, abſque culpa, poteſt retrocedere. *l.* 1. *ſicut. C. de Action. l.* 2. §. 1. *ff. Ne quid in loco publico.* Fidem enim fallere, eſt grave delictum. *l.* 1. *ff. de Conſt. Pecun. Vide plura apud Sanctarellum Soc.* Jesu, *Variar. Reſolut. quæſt.* 18. *per totam.* ubi non dat bona verba his, qui recedunt à Contractu, quæ honoris cauſa omitto, licet hac allegatione, optimè poſſem ulciſci injuriam Illuſtriſſimi D. Nuncii Apoſtolici, cujus aſſertioni error, & nulla juſtificatio, inconſideratè objecta eſt. *ſuprà in Deciſione, ad n.* 145. 196.

Quod attinet ad clauſulam, ultimo loco in deciſione poſitam, *citra tamen præjudicium quorumcunque Iurium utriuſque partis, & ſucceſſorum.* Hæc clauſula nullum Jus tribuit, ſed tantùm præſervat ſi quod quis habet. *Theodoſ. Rub. ſingul. part.* 4. *circa clauſulas, ex Rota Rom.* Quod non procedit in Jure, quod eſt contrarium facto. *Rota apud Put. Deciſ.* 113. *in novis. lib.* 2. Ideo non debet intelligi de his, quæ ſunt expreſſa in Actu. *Theodoſ. Rub. ibid.* allegans multos Doctores, & Rotæ autoritates. 197.

Quam clauſulam Cardinalis Seraphinus, dicit eſſe rejiciendam, aut commodâ interpretatione conciliandam. Nempe quod in eventu Concordia non obſervaretur, poſſet Plebanus per iſtam reſervationem Iuris ſui, reducere Patres, ad illud 198.

 pun-

p.60. punctum Excommunicationis & Bannimentorum; de quibus nunquam conſenſiſſet R. P. Meſynski, abſolvi, aut quietari, niſi per iſtam concordiam, ſemper ſibi in poſterum, juxta ſollemnem & legitimam Conventionem, ſatisfactum iri confidiſſet. Ideo ad tollendam colluſionem & ſimulationem, hanc interpretationem eſſe amplectendam, maximè ſtante obſervantiâ, in ſimili caſu cenſuit. *Rota apud Cardin. Seraph. Deciſ.* 1343. *in fine.*

199. In quo termino non obſervatæ concordię, etiam ſecundùm ſententiam Theologorum, eſſet Reincidentia Excommunicationis, *juxta Laiman, Soc.* JESU, *lib.* 1. *de Cenſuris, tract.* 5. *c.* 7. *n.* 8. Et reſtituenda eſſent ea, quæ accepta ſunt, ratione hujus conceſſionis lignorum, aut quæ in lucris, perlucris, damnis, & retentis decimarum, remiſſa & condonata ſunt. Non enim eſt ferendum, ut quis ex eo contractu, quem non implevit, commodum conſequatur. *Rota apud Seraph. Deciſ.* 209. *n.* 4.

200. Quæ omnia ad inſtantiam Plebani, Reverendiſſimum D. Epiſcopum ad exſecutionem deducere poſſe, non eſt dubium, in vim Conſtitutionis Gembicianæ. *Regulares quoque intelligant, &c. vt ſupra. n.* 102. quam exſequi juxta poteſtatem, in confirmatione Apoſtolica datam, per Cenſuras poterit, *Appellatione remotâ, invocato etiam, ſi opus eſſet, auxilio Brachii ſecularis.* Non obſtante contrariâ deciſione Rotæ, quia hæc ad malam informationem, non potuit aliam proferre ſententiam: Quæ quia Statutis noſtris contraria, ideo nulla, & invalida, ob Decretum irritans Gregorii XV. Statuta noſtra approbantis, & confirmantis, ibi. *Irritum ſit & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis autoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque.* ut ſupra, n. 101.

201. Quod verò dicitur in fine primæ Deciſionis, illam Concordiam

diam fuiſſe merè Perſonalem, & ideo nullum præjudicium ex ea ſucceſſori fuiſſe illatum. *Ad quod ita reſpondeo.* Non fuiſſe adeò ſimplicem Plebanum, ut in ſola perſonâ R. P. Rectoris concordiam ſtabiliret, quem poſt hodiernum contractum, in Craſtino, potuiſſe aut mori, aut mutari, aut de Societate expelli, optimè ſciebat, ideo non contentus, neque confidens ſtabilimento Rectoris, qui nomine totius Collegii, voluit approbationem, Præpoſiti Provincialis, & in ſuperabundanti, ſuper his, autoritatem Confirmationis Illuſtriſſimi D. Nuncii Apoſtolici, quæ omnia ſollemniſſimè, in authenticis documentis, ad perpetuam rei memoriam, & ipſius aſſecurationem tranſacta ſunt. Quo conſiderato, mihi videtur, non rectè judicatum, hanc concordiam fuiſſe Perſonalem, Ex parte R. P. Rectoris. p.61.

Et hæc ſufficiant, quoad ipſam Deciſionem.

COnſiderata verò ipſius Deciſionis ſententia, novum Emergens nobis produxit: non ſolùm enim à prædialibus Decimis ſolvendis immunes, ſed etiam à *Cmetonalibus* liberos pronunciavit. cujus occaſione de Colonis videamus. Et quidem oſtenſo ſufficienter, quòd patres Soc. non poſſunt ſe tueri privilegio, quominus Decimas ſolvant, ex prædiis cum hoc onere poſſeſſis, ex Juribus ſuprà deductis, in neceſſariam venit conſequentiam, quòd etiam Colonus ſolvere teneatur: Unde ſuperflua hæc de Colonis alicui videretur diſſertatio, niſi ſciret neceſſariam apud nos hanc eſſe diſtinctionem, aliud eſſe Prædium Domini, Alium agrum Cmetonalem, quia frequenter accidit, ut una Eccleſia habeat ſuas Decimas poſt prædia Dominorum, alia verò poſt agros Colonorum. Et inde conſtabit, quàm magnâ Beneficiati à Patribus afficiantur injuriâ, dum ipſis non ſolùm poſt ſua prædia, ſed etiam poſt agros Cmetonales negant 202.

p.62. Decimas : imò ſibi contra omnem Iuſtitiam, & æquitatem eaſdem uſurpant. *vt ſupra. n.* 154.

203. Suppoſito ergo, quod nunquam concedimus, quòd Patres de ſuis prędiis Decimam ſolvere, vigore Privilegiorum, non teneantur. *Quæritur*, an etiam Coloni ipſorum ſint exemti, ita, ut eorum Decima accreſcere poſſit Patribus Soc. & cedere in ipſorum utilitatem, attentâ conditione Colonorum Regni Poloniæ.

204. *Negativè* cenſendum eſt : quia, cum nulla mentio habeatur in privilegiis Patrum Soc. de Colonis; inde colligitur, non eſſe exemtos à ſolutione Decimarum, quia Privilegia exemtionis à ſolutione Decimarum ſunt Perſonalia, non autem Realia, & ideo non tranſeunt ad Colonos, Arendatarios, ſeu Emtores prædiorum, aut fructuum, *ut non ſemel cenſuit Rota, & ſignanter Deciſ.* 23. *par.2. Diverſ. & coram Seraph. Deciſ.*827.*n.*2. *& in Placentina Decimarum*, 17. *Decemb.* 1584. *coram Cardinali Blanchetto, & in Pampilon. Decimarum* 15. *Decembr.* 1615. *coram Coccino, & in Leodien. Decimarum.* 20. *Decemb.* 1628. *coram Cardinali Virili.*

205. Expreſsè Fillucius Soc. IESU Theologus his verbis : *Coloni verò Religioſorum non eximuntur à Decimis.* Tract. 27. par. 2. de Decimis. c. 8. n. 184. Suarez de Religione. lib. 1. de ſolvendis Decimis. c. 17. n. 13. adducens autoritatem Concilii ſecundùm Gratianum Moguntini, ſecundùm ipſum Cabilonen. quæ eſt talis : *Queſti ſunt quidam Fratres, quòd eſſent aliqui Epiſcopi & Abbates, Qui Decimas non ſinunt dari Eccleſiis, ubi illi Coloni Miſſas audiunt. Proinde decrevit Sacer iſte Conventus : Ut Epiſcopi & Abbates, de agris & vineis, quæ ad ſuum & Fratrum ſtipendium habent, Decimas ad Eccleſias dari faciant. Familiæ verò ibi dent Decimas ſuas, ubi infantes eorum baptiſantur, & ubi per totum anni circulum Miſſas audiunt.* 16. q. 1. ubi. gl. nomine familię Colonos interpretatur.

Et

Et *infrà cap.* 19. latè tractat hanc materiam, aſſerendo ſimpliciter, Colonos non eximi, ſed teneri ad ſolvendas Decimas, ubi n. 13. dat ampliſſimas rationes, & infra adducit Panormitanum idem ſentientem. p.63. 206.

Nihilominus in *fine hujus capitis*, per largam privilegii interpretationem, ex quadam probabilitate, inducit Colonos non teneri ad ſolvendas Decimas, ex ea ratione: *Quia pars illa fructuum, quam Coloni accipiunt ſibi pro cultura, de prædiis Religionis eſt. Unde ſi Religioſi non poſſunt ſibi retinere Decimam fructuum, quos Coloni percipiunt, revera licet proximè videantur Coloni illam ſolvere, non ipſi, ſed Religioſi ſolvunt, cum ſit de prædiis ipſorum, & Coloni nihil juris in illa habeant. At verò Pontifex per illa verba, liberat eos ab onere Decimarum prædialium purè, & abſolutè, & ſine conditione. Ergo dicendum eſt, per illa verba ſimpliciter eximi prædia Religioſorum à tali onere, eo ipſo, quod illorum ſunt, à quocunque nomine illorum colantur.* Suarez loco ſupra citato. 207.

Et hoc punctum eſt ex Suarez, quod nos induxit ad oſtendendam differentiam noſtrorum in Polonia Colonorum, & inde patebit, quàm illegitimè cum injuria Cleri, Patres ſibi uſurpant Decimas à Colonis.

Duplices ergo ſunt Coloni, qui ſecundùm Suarez, probabiliter eximerentur, ex ea ratione, quia fructus perciperent ex prędio Exemto, quos vocat alios Partiarios, quia partem fructuum pro cultura ſibi accipiunt; alios Penſionarios, qui pro integris fructibus ſibi acceptis, ſolvunt juxta pactum certam penſionem. Si ergo prædium eximeretur, & Coloni viderentur eſſe exemti, quia non illi, ſed Religioſi ſolverent. Nam & Penſionarius habitâ ratione ad Decimam, minus daret penſionis, & partiarius majorem partem prætenderet, volens habere à Religioſis, quod in Decima alteri daret. 208.

Suppoſito itaque, hoc ex doctrina Suarez fundamento, videndum 209.

dendum

p.64. dendum eſt, an ſint tales Coloni in Polonia, & conſtat eſſe,tam penſionarios, quales ſunt omnes Arendarii, & Cenſuarii : qui dant Penſionem pro rata juxta pactum : quàm Partiarios, quales ſunt V. G. apud nos dicti *Rataie*, qui juxta Conventionem, aliquam partem fructuum habent ex prædio Domini, quod colunt: De ſimilibus ergo Colonis, ſi prædia Patrum Soc. poſſent eſſe exemta, quod in Polonia negamus, procederet rationabilis controverſia, ex ea conſideratione Suarez, quia haberent fructus ex prædio exemto : ratione quorum, ſi ſolverent Decimas, hæc ſolutio magis gravaret ipſos Regulares, quàm Colonos. Dixi procederet controverſia, quia oſtenderemus in privilegiis non poſſe fieri extenſionem ex identitate rationis. *juxta Riccium. Deciſ.* 147. *par.* 4.*n.* 17. *& alios ibi allegatos.* ſed hujus qualitatis Coloni, in noſtro caſu, ſunt extra controverſiam cum Patribus Societatis.

Cmetones.

210. SUnt alii in Polonia Coloni, quorum & ratio & conditio à primis diverſiſſima, qui vocantur Cmetones. Hi habent ſuas poſſeſſiones, & ſuos ſcorſivos agros, qui non ſunt de prædio Domini. Et in his ſuccedunt jure hæreditario, eoſque agros inter ſe aliquando, cum conſenſu Domini vendunt, dividunt, commutant, eâ tamen conditione, ut per has eorum diſpoſitiones, nihil deperear ex Obligatione Reali, quam tenentur Domino, quæ maximè conſiſtit in colendo prædio Domini, & præſtandis laboribus, tam perſonalibus, quàm jumentorum. Et ita gaudent ſuâ tenui proprietate, & ſunt libertate Eccleſiaſticâ, & privilegiis muniti. Unde ſi quando gravantur, recurrunt ad Superiores, & aliquando coram ſuis venerabilibus Capitulis ipſos Reverēdiſſ. D.D. Epiſcopos accuſant, ſi per Gubernatores privilegia corū, aut non obſervētur, aut aliquid ab eis ultra Conſuetū exi-

exigatur.Quod ipſi moderno R.P.prępoſito Generali Soc.Jeſu, p.65.
perſpectum eſt, dum Coloni villæ Kielczevo in ſuburbio Co-
ſten. ſitæ, apud ipſum, de Patribus Soc. Collegii Poſnanienſis,
conquererentur, quòd jura & antiquę conſuetudines eorun-
dem, à PP.violarentur. A quo,per me, dum Romæ manerem,
tribus circiter abhinc annis, Decretum per literas obtinuerunt,
ut privilegia ab Eccleſia Poſnanienſi, cui non adeò pridem
ſuberant, ipſis conceſſa,per Patres obſervarentur, & ultra con-
ſuetum nihil ab eis exigeretur. *Sed de hoc infrà ſufficientiùs,num.*237.

Idem fit in bonis Regalibus, coram Regiâ Majeſtate, quod 212.
in Eccleſiaſticis, coram Superioribus.

Secus eſt in bonis Nobilium, non quòd aliter deberet eſſe, 213.
ſed quia Nobilitas ſucceſſivè ſtabilivit ſibi eam poteſtatem, ut
modò ſit non ſolùm fortunæ ſui ſubditi, ſed etiam, ut commu-
niter præſumunt, vitæ & necis abſolutus Dominus. Nec ſit
aliquis in Polonia judex, coram quo ſubditus injuriatus habeat
aliquam contra ſuum Dominum actionem. Imò neque contra
alium Nobilem, niſi cum aſſiſtentia ſui Domini: per Dei gra-
tiam tamen, in hoc Regimine ſubditorum, apud nos plus ope-
ratur conſcientia, quàm alibi leges; Unde videmus multorum
Nobilium Subditos eſſe divites, bene poſſeſſionatos, quod ra-
tio exigit, ut ſi Dominus velit eſſe dives, ſubditus non ſit inops,
à quo dependet ſua fortuna. Hoc ideo adducendum duxi, ne
aliquid, ex eo genere ſervitutis, ſubditis Eccleſiaſticis objicia-
tur, & ſic noſtra ratio apud Peregrinos decipiatur.

Habent ergo, ut ſupra dictum eſt, noſtri Cmetones ſeorſivas 214.
poſſeſſiones, de quibus integros fructus ſibi percipiunt, eoſque
in neceſſitatem, ſeu utilitatem privatam, pro arbitrio ſuo,con-
vertunt. Et licet teneantur, abſque aliquo ſumtu Domini,
prædia ipſius colere, nihil tamen ex eorum fructibus perci-
piunt, ſed integros Domino colligunt, & ad horrea reducunt.

p.66. Ultra hanc, ſuo Domino, laborum & araturæ obligationem,
215. habent alia duo publica onera : *primum eſt Ordinarium*, juxta menſuram, & proportionem agri, Decimas ſuis Eccleſiis, ubi Miſſas audiunt, infantes eorum baptizantur, & alia ſacramenta percipiunt, ſolvere, ſive in manipulo, ſive in grano, prout exigit antiqua conſuetudo, aut etiam illi Beneficiato, cui antiquitus per diſpoſitionem Epiſcopi hæ decimæ ſunt deſtinatæ, ex fundatione, & erectione ſui Beneficii.

216. *Alterum onus eſt Extraordinarium*, contribuere ſcilicet pro Neceſſitate Publica, quando id per Comitia indicitur, cui ordinationi, miror quare Patres Soc. non opponant pro ſuis Cmetonibus Privilegia, cum etiam vigore Privilegiorum, *ſint immunes, à quibuſvis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, & pro defenſione Patriæ, ac aliàs quomodolibet impoſitis. ut ſup. n. 62.* Nempe ſciunt, quòd hujus Excmtionis coram Repub. eſſet alia Deciſio, quàm coram D. Cerro. Et ita prædicta onera decimarum, & publicæ contributionis, omnibus ſubditis, Eccleſiaſticis, Regalibus, & Nobilium, ſunt æqualia, & communia, juxta menſuras ſuorum agrorum.

217. Cum ergo Suarez, lumen Religionis PP. Soc. ſi prædia eximerentur, non potuit aliam probabilitatem excogitare, niſi quod Colonus ex prædio excmto de fructu participaret, & conſequenter per indirectum, non ille, ſed potiùs Religioſus
218. excmtus Decimam ſolveret. Miror quomodo noſtri Patres Soc. cum neque ipſi ſint excmti, *quia prædiorum cum hoc onere poſſeſſores*, trahant etiam excmtionem ad Cmetones, in quorum conditione, non poteſt oſtendi, aut verificari probabilitas à Suarez concepta: cum nihil pro cultura à Patribus accipiant, neque de fructibus prædiorum pro Patribus Soc. cultorum aliquo modo participent; ſed habeant ſuas ſeorſivas poſſeſſiones, cum antiquiſſima obligatione, ſolvendi decimas in ma-

manipulo, aut in grano, Eccleſiis Parochialibus, aut aliis Beneficiatis, quibus debentur, ex Fundatione, Dotatione, aut ab Epiſcopis Donatione, ſeu alio legitimo titulo in Erectione, aut melioratione ſuorum Beneficiorum. p.67. 349

Et inde patet quàm temere, abſque ulla ratione, hoc quod juris eſt alieni, cum injuria, & oppreſſione pauperũ ſecularium ſacerdotum, Patres Soc in Polonia ſibi uſurpant, contra Canones, & Decretum Tridentini Concilii, *ut ſupra.n.*4. licet alii Regulares, paribus privilegiis gaudentes, eaſdem cui debentur, perſolvant. 219.

Alterum patet, quia cum prædia neque ſuis manibus, aut laboribus, neque ſumtibus colant, prout antiquiores Exemtiones diſponunt, ſed habeant laborem tantorum Cmetonum, & culturam abſque ſumtu, eo ipſo non procedit Privilegium, & tenentur ſolvere Decimas: quia Exemtio, ut ſupra ejus origo deducta eſt, habuit rationem ſolius Religioſæ paupertatis: quâ nunc per Dei gratiam in Patribus Soc. ceſſante, ceſſat etiam Privilegium. 1.q.7. Quod pro remedio. tam enim abundanter apud nos in Bonis poſſident, ut lege publicâ cautum ſit, ne amplius villas & terras acquirant, Conſt. Anni 1635. & non major numerus eorum conſtitui debet, ac in poſterum conſervari, quàm ex reditibus propriis poſſint ſuſtentari. *Conſil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regularibus.* 220.

In his omnibus, ſi ita S. Rotæ Romanæ Auditorium, in noſtra communi cauſa, fuiſſet informatum, prout in tam præjudicioſo negotio conveniebat, aliam profectò feciſſet deciſionem. 221.

Dicet fortaſſis aliquis; Plebano id vitium eſſe imputandum, qui Rotam pro parte ſua non informavit; ſed dignus eſt in hoc paſſu aliqua excuſatione, ſi non compaſſione. Unus eſt ex nobis, qui ultra montes, ultimi ſumus ſedi Apoſtolicę obedientes: Magnum iter ad Curiam, & periculoſum eſt, ad quod perficiendum, optimâ valetudine, viribus, & immenſo ſumtu, opus eſt. 222.

 Neque

p.68. Neque hac in parte cum PP. Soc. cōparandi ſumus, quibus ubique patria, ubique domicilium, ubique auxilium. Quod ſi in urbem fatigatis, & debilitatis venire contigerit. O quantæ ignaris linguæ difficultates! quàm ſumtuoſi Cauſarum noſtrarum progreſſus; quàm difficiles, ob molem negotiorum, aditus, & expeditiones! Mora ipſa ſumtuoſa, & tædioſa, & ante omnia dubius, & periculoſus etiam juſtæ cauſæ eventus; quid mirum, ſi retardant ad Curiam noſtrum adventum!

223. E contra Patribus in urbe omnia parata, delicioſæ commorationes, amicæ converſationes, undique favores, reſpectus, promotiones, ſummorum virorum interceſſiones, & in cauſa malè informatâ aſſecurationes. Unde quid mirum, ſi hęc omnia Iuſtitiæ impedimenta, conſiderans pauper ſacerdos, Dote & fundatione ſui beneficii ſpoliatus, potiùs eligat intra domeſticos parietes lacrymari, & coram Deo ſuo, ad altare ingemiſcere, quàm concurrentibus præmiſſis, extra Patriam litigare.

224. Ignoſcat quæſo Curia Romana (ſi hæc aliquando legerit) juſto dolori noſtro, & ſi quid offenſum eſt, adſcribat non malevolentiæ, ſed calamitati. Nos ignoſcimus R. D. Cerro, qui malè informatus, non potuit aliam proferre ſententiam. Utinam cognitâ veritate, & bene trutinatis Iuribus, & libertatibus Cleri noſtri, S. Rota, nos circa eadem, tanquam totum Clerum concernentia, conſervet & manuteneat. Niſi forte hoc præjudicium Divino Judicio reſervetur, quod cum ſit diutiùs exſpectandum; Nos interim de nullitate, & invaliditate hujus ſententiæ, ſollemniter & ſollemniſſimè, omni meliori modo proteſtamur. Quia prolata eſt contra Statuta noſtra, à ſede Apoſtolica confirmata, *Non obſtant. quibuſcunque*, *cum decreto irritanti*. ut ſup. n. 93.

225. Ne inpoſterum ſimilia fiant nobis gravamina; Duo poſſunt eſſe Remedia. *Primum*, ſi Cauſſæ noſtræ in Polonia decidantur: quoniam ad Curiam devolutæ, ob difficillimam utriuſque partis.

tis informationem, abſque intolerabilibus ſumtibus, & expenſis, ibi definiri non poſſunt. Quarum illas Actiones, quæ ratione Bonorum terreſtrium ſecum afferunt Obligationem, à tribunali Regni, compoſiti Judicii, cenſerem non eſſe amovendas; quia ibi optimè cognoſcuntur, & ab illis Judicibus, in parte Eccleſiaſticis, rectè definiuntur: ubi hanc eandem cauſam Plebani in Golamb, cum PP. Soc. jam fuiſſe deciſam, nomen Bannimentorum, non leve nobis facit indicium; ibi enim rebellibus, & parere recuſantibus, hæc eſt ordinaria pœna, quâ mulctati neceſſariò aut de facto ſatisfaciunt, aut cum parte læſa componunt, prout accidit in noſtro caſu. p.69. 380

Alterum Remedium eſt : Si in urbe Romana, Auditor Polonus (ſumus enim cum aliis hoc honore digni) procuretur. Habet Germania, Gallia, Hiſpania, Italia, Venetia, Neapolis, Florentia, Bononia, &c. ſuæ gentis dignos Homines, in Sacro Rotæ Romanæ Auditorio, Judices, quibus Patriæ leges, mores, & inſtituta, cum non ſint incognita, abſque legum & libertatum Provincialium derogatione, reperiuntur illorum judicata. 226.

Hoc poſtulare à Sede Apoſtolica, quàm nobis honorificum, & neceſſarium ſit, conſtat cuilibet ſenſato. An impetratu ſit difficile? credi non poteſt. Quod enim non ſolùm aliis Regnis, ſed etiam particularibus Civitatibus ſancta Sedes conceſſit, tam ampliſſimarum provinciarum Regno Poloniæ, & Magno Ducatui Lituaniæ, Antemurali Orbis Chriſtiani, publico nomine Juſta petenti, non eſt præſumendum negaturam. Sed in hoc puncto promovendo, Dux nobis, & Autor opus eſt. 227.

Finem huic operi ad noſtram intentionem, æquitati conſentaneam imponendo, confidimus de benignitate S. Romanæ Sedis, eodem modo, hac in cauſſa nobiſcum proceſſuram, quo Seneca de Beneficiis tractans, noſtri Propoſiti Exemplar repræſentat, ita ediſſerens : *Philippus Macedonum Rex, habebat Mili-* 228.

p.70. *tem manu fortem, cujus in multis Expeditionibus, utilem expertus operam, ſubinde ex præda aliquid illi virtutis causâ donaverat. Hic naufragus in poſſeſſiones cujuſdam Macedonis expulſus eſt. Quod ut Macedoni illi nunciatum eſt, accucurrit, ſpiritum ejus recollegit, in villam ſuam tranſtulit, lectulo ſuo ceſſit, affectum, ſemianimemque recreavit, diebus triginta impensâ ſuâ curavit, refecit, viatico inſtruxit, ſubinde dicentem, gratiam tibi referam, videre tantùm mihi Imperatorem meum contingat. Narravit Philippo naufragium ſuum, auxilium tacuit, & protinus petiit, ut ſibi prædia cujuſdam donaret. Ille Quidam erat hoſpes ejus, is ipſe, à quo receptus erat, à quo ſanatus.* Senec. de Benef. lib. 4. c. 37.

229. Comparando noſtro tempori antiquitatem, militantem Eccleſiam, inter alios, habere in ſuis Caſtris Soc. Militem fortem, & ſtrenuum, non negamus, bene-meritum, ac per conſequens ſtipendiis ac muneribus dignum, concedimus. Fateatur & ipſa Societas neceſſe eſt, ab initio ſe miſeram, alienâ ope egentem, & ex litoribus Hiſpanis naufrago perſimilem, in poſſeſſiones Cleri ſecularis, & præſertim Poſnaniam perveniſſe, à Cujus civitatis Clero, & inprimis ab Epiſcopo, omnibus humanitatis officiis recreata, & in lectulos noſtros, in domicilia, & in ſex villas ita recepta, ut non in triginta dies, quemadmodum Macedo militi hoſpitio, ſed in ſecula proprietate, cum incommoditate plurimorum, ceſſiſſemus. Quantæ gratiæ; quantæ promiſſiones, illâ ætate, à Patribus Clero ſeculari fuerint exhibitæ, conjecturare poſſumus, ſi hujus temporis ejuſdem Soc. politiſſimos mores conſideremus.

230. Unius Civitatis, ut ſupra dixi, in Patres merita & officia, argumento eſſe poſſunt, quid tota Polonia Societati humaniſſimè exhibuerit. Pro hiſce non vulgaribus beneficiis, cum Clerus Polonus gratitudinem ſperare debuiſſet, ecce nobis Decimæ, & alimenta noſtra, à Patribus eripiuntur, & contra omnem æquitatem

tatem auferuntur, ex iis terris & poſſeſſionibus, quæ ad Domi- p.71.
nium Patrum, cum obligatione, ſolvendi decimas Parochis,aut
aliis Beneficiatis pervenerunt, quaſi cum Patres talia bona ac-
quirant, in onera eorum non ſint ſucceſſores, & hoc ipſum ne-
fas autoritate Pontificiâ, & Decreto Rotę defendunt.

Perſiſtendo in exemplo Macedonis, quid Rex ? quid ille, 231.
Bonis ſuis autoritate &Decreto Regio ſpoliatus,fecerit? Videa-
mus. inquit Seneca: *Multa interim Reges, in bello præſertim, opertis*
oculis donant, non ſufficit homo juſtus unus, tot armatis cupiditati-
bus, non poteſt quiſquam, eodem tempore, & bonum virum, & bo-
num Ducem agere. Quomodo tot millia hominum inſatiabilia ſa-
tiabuntur? Quid habebunt, ſi ſuum quiſque habuerit? Hoc Phi-
lippus ſibi dixit, cum illum induci in Bona, quæ petebat, juſſit. Et
deinde ſubdit factum Macedonis, *Expulſus in bonis ſuis ille, non*
ut Ruſticus, injuriam tacitus tulit, contentus, quòd non & ipſe do-
natus, ſed Philippo Epiſtolam ſtrictam, ac liberam ſcripſit.

Tali reſpectu, ob unius favorem, injurias multorum diſſi- 232.
mulandi, Principem Eccleſiaſticum non arguimus, & proinde
negamus, cum præjudicio noſtro, Privilegium Patribus con-
ceſſiſſe. Tametſi autor ipſe hujus privilegii, Gregorius XIII.
Philippo ſimilem videtur Orbi terrarum manifeſtare excuſa-
tionem, ita ſuam quandam Bullam incipiens. *In tanta rerum*
& negotiorum mole, quâ Romanus Pontifex, ex omnibus Mundi
partibus, aſſiduè premitur, vix evitari poteſt, ne aliqua interdum
exſiliant, quibus poſteà recognitis, neceſſe eſt moderationis remedium
adhibere, &c. Et hujus generis eſſe Exemtiones à Decimis, 233.
Patribus conceſſas, aſſeruerunt Pontifices Leo XI, & S. D. N.
Urbanus VIII. dum hanc Exemtionem, ſine ratione Clero
ſeculari præjudicioſam, revocârunt, cujus Revocationis, cum
ipſa Rota ſæpius in aliorum cauſſis meminerit, quid mirum, ſi
doleamus, cauſſas Polonas,ab hoc communi Pontificum bene-
ficio,

p.72. ſicio, eſſe excluſas. Qui dolor, ſi alicui videatur, ſtrictiore & liberiore calamo expreſſus, non dubitamus Curiam Romanam, eo animo hæc ſcripta à Polono, ruſticè injuriam non ferente, recepturam, quo Philippus à Macedone excepit, cujus ſententiam audiamus. *Accepta Epiſtolâ, ita Philippus exarſit, ut ſtatim Pauſaniæ mandaret, Bona priori Domino reſtitueret. Cæterùm improbiſſimo militi, ingratiſſimo hoſpiti, avidiſſimo naufrago, ſtigmata inureret, ingratum Hoſpitem teſtantia.* Non ſe potuit abſtinere ſapientiſſimus Seneca, quin hanc cauſam & ipſe judicaret, dicendo: *Dignum militem fuiſſe, cui non inſcriberentur illæ literæ, ſed inſculperentur: & auferendum utique fuiſſe ab eo, quod ſummo Scelere invaſerat, quamvis Jus à ſupremo Domino habuiſſet.*

235. Cum ſic contra immemores Beneficiorum paratam habeamus ſententiam: dicent Patres à Plebano, cujus injuria ſcribendi materiam præbuit, nullum beneficium accepiſſe, ſed habendus erat reſpectus Communitatis, cujus, in una perſona Plebani, tali proceſſu, per PP. Societ. Jura & Statuta violabantur. Ego Hominem non novi, & ignoti, tanquam Communem cauſſam ago: lego tamen in ipſa Rotæ deciſione, Societatem Plebano magnum ſinceritatis affectum, & amoris gratitudinem proteſtatam fuiſſe, quæ verba, cum tanto candore, poſt Bannitionem & Excommunicationem eorundem proteſtata, meo judicio, præſupponunt non leve beneficium, dum à Cenſuris, & maculâ Bannitionum, per Plebanum liberati, etiam ab eo 1300. florenis potirentur, pro quo favore, citra fidem datam, brevi temporis intervallo, ſuâ Decimâ à Patribus ſpoliatus eſt.

236. Et meo Canonicatui decima, à Patribus debita, denegatur: utique & ego ſum, licet indignus, ex illo Capitulo, quod Donationi ſex villarum, ad ſuſtentationem Patrum Soc. conſenſum præbuit, eiſque Beneficium, ſuæ manûs ſubſcriptione, firmavit, & annulo aſſecuravit. Quarum unam villam, Kielczevo dictam,

ctam, in ſuburbio Coſtenſi ſitam, præterire non poſſum, quin unum Actum in ea commemorem, quem fortaſſis improbus ille miles, in Bonis Macedonis non feciſſet. p.73. 382

237. Hujus villæ Incolæ Privilegiis, & libertatibus Eccleſiaſticis muniti, ab antiquiſſimo tempore Eccleſiæ Poſnanienſis certum Cenſum perſolvebant, ultra quem nihil ab eis exigebatur. Quod Ius tantundem *in Cenſu percipiendi*, cum poſtea quidam Epiſcopus, in donatione ejuſdem villæ, Patribus conceſſiſſet, Multitudo hominum illius villæ, in noſtris partibus opulentę, parum Patribus contribuere, in conſueto annuo cenſu, videbatur; nempe quia diligentiùs bona, & poſſeſſiones ipſorum, quàm jura perſpiciebant, ideo Cenſum per eos augeri poſſe, extra conſcientiam erat.

238. Sed cum Incolæ, novæ impoſitioni Privilegia ſua oppoſuiſſent, & de gravamine, etiam Romæ per me ipſum, apud Reverendiſſimum Præpoſitum Generalem, conqueſti eſſent; ipſius ſacroſancto Decreto, Iura, & Privilegia ab Eccleſia Poſnanienſi conceſſa, ſalva Incolis erant, niſi boni œconomi, aliquid pejus, in ęternum prędjudicium eorundem, excogitâſſent. Non licuit Cenſum augeri, quia æquus Iudex ſuperior, Ius ſuum Incolis conſervari, per literas mandaverat: Videant Collegii Poſnanienſis Patres; an in hoc Iure conſervando obedientes fuerint? dum deſperato lucro Cenſûs, hos Subditos libertate Eccleſiaſticâ gaudentes, in perpetuam ſervitutem Laïcorum vendere pręſumpſerant, utilitatem Majorem ex Venditione, quàm ex cenſu computantes: Iam pactum, jam tranſactum erat, jam mille circiter animæ, cum poſſeſſionibus ſuis, pro octo millibus ſcutorum Mancipia à novo Domino numerabantur.

239. O Deum Immortalem! clamat Juſtitiæ Regula, *Neminem poſſe in alium plus Iuris conferre, quàm ipſe habeat.* Cùm Patres in prędicta villa, nihil ampliùs prætendere poſſent, quàm Ius exigendi debitum Cenſum; cùm Incolæ ſuarum poſſeſſionum,

 & agro-

p.74. & agrorum ita Domini ſint, ut eos inter ſe vendant, & in iis hæreditario jure ſuccedant. Cur bona ipſorum, cur ipſi homines venduntur ? Nempe illorum ſcutorum major fructus ſperari poterat, quàm Cenſus Incolarum. Sed ſciendum eſt,quicquid ultra Cenſum,in venditione poſitum eſt,homines liberos eſſe,& patrimonia eorundem, qui emebantur, non ut Cenſum ſolverent, ſed ut opportunè novi Domini poſſeſſionibus adjacentes, perpetuæ ipſius ſervituti addicarentur, quorum operâ,& omni fortunâ, pro Imperio ſuo, cum abſoluta poteſtate, etiam vitæ & necis uteretur, cum ſic oppreſſis, nulla actio injuriarum,contra Dominum ſecularem ſupereſſet.

240. Dixi vitę & necis, receptis enim novus Dominus in ſuam poteſtatem Incolis, ſi qui ſervitutis impatientes, relictis omnibus ſuis, fugâ ſibi conſulere voluiſſent: Dominus de eo admonitus, prohibere poterat, ne id facerent,ſub pœna cujuſvis ſupplicij. Contigiſſet alicui, Calamitatis ſuę vitandę cauſſa,aufugere: Cum in noſtra Repub. Ius ſit Domino perſequendi,& recuperandi ubique ſuū Subditum, jam hic vindicatus,in diſcretione ſui Domini remaneret, qui fortaſſis, ut alios Subditos in metu contineret, daret tantos transfugas ſupplicio in exemplum, quantos ſęvitię ipſius placuiſſet,& quaſi juſto prętextu, cum tali conditione, ut ſui eſſent, emiſſet, idque faceret, non tam lege vindictam permittente,quàm non prohibente.

241. Sic ſtantibus rebus,cum Patres Societ. religioſi homines, ob Cenſum ſuę voluntati non correſpondentem, Iura incolarum ferre non poſſent, gratis ab Epiſcopo Poſnanienſi hoc utile poſſidentes, quis crediderit, amiſsâ ſui, & rerum ſuarum libertate, Iura eorundem, apud Dominum ſecularem ſalva fuiſſe ? pro quibus tantam ſummam pecunię, niſi violatis privilegiis ſerviliter uteretur, nunquam expendiſſet.

242. Et quidem Domino ſeculari ignoſcendum erat, ſi jure Em-

tionis

tionis in ſubditos uteretur, cum enim octo millibus Scutorum, juxta ordinarios contractus Regni Poloniç, octingenti in fructu annuo deberentur, ſi Cenſum ab Incolis ducentorum tantum accepiſſet, unde ſexçenta habuiſſet? niſi violatis privilegiis, & omnibus in ſervitutem redactis, pro libitu ſuo, utilitatem ex ſubditis quçſiviſſet. p.75. 385

243. An ignoſcendum ſit Patribus Soc.? Eccleſia judicet, quç tanquam pia Mater, pro Redemtione Captivorum ſupellectilem ſuam, & vaſa aurea vendi voluit. E contra Patres, ut ſplendidiora vaſa, & magnificentiorem ſupellectilem habeant, homines Chriſtianos, & quidem liberos, nunquam licito jure, in miſerandam vendunt ſervitutem. Quamvis fortaſſis aliud dicerē de Colonis, quos Patres à Nobilitate cū originali ſervitute acquiſiviſſent, quia tales jam ſuo malo aſſueti, non tantopere gravarentur, prout iſti, quorū libertas in ſervitutem cōmutabatur.

244. Rem veram, uti in mea Civitate tranſactam, & non fabulam narro. Quem contractum, ſi quis negabit ad effectum deductum fuiſſe, non ideo meæ aſſertioni derogabit: nihil enim per Patres omiſſum, aut neglectum fuit, quod ad venditionem jam ſtabilitam, & certo precio æſtimatam, pertineret. Emtor ſecuritati ſuç conſulens, aliquantum hçſit, dum enim intellexiſſet, quòd prçdicta villa, cum aliis quinque, non pleno jure à Patribus poſſideretur, & quòd Epiſcopus cum Capitulo, ut malè alienatam, Eccleſiç ſuç vindicaret, receſſit à Contractu, & à Patribus poſſidere noluit, quod poſtea Eccleſiç reſtituere, jure mediante, cogeretur.

245. Hic Contractus de vendita per Patres hominum libertate, extra propoſitum noſtræ materiç applicatus videretur. Niſi inde abuſus noſtri Beneficii clareſceret, & niſi Autor Chriſtianâ motus compaſſione, pro Incolis utiliter ſcripſiſſe ſciret, & hac demōſtratione Servitutis, Patres cohibere poſſe crederet, ne

p.76. ampliùs de ſimili utilitate, cum diminutione Subditorum, cogitent, ſed ſolito Cenſu contenti, Incolas Eccleſiaſticas, circa ſua jura, & privilegia conſervent, & manu-teneant.

246. Memini ad Menſam Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. mei Epiſcopi Poſnanienſis de iſto Contractu, in Forma debita, diſcurſum fuiſſe, cumque Rectori Societ. cum altero Profeſſore Theologo ibidem præſenti, non placuiſſe, in Procuratorem Collegii, uti perſonam particularem, commoda Collegii providentem, culpam, ſi quæ fuit, referenti, cujus ſolius, incertum adhuc tractatum, abſque Conſenſu Superiorum, dicebant non potuiſſe Colonis præjudicare, quorum Jura & privilegia conſervare, ad totum Collegium Soc. pertinebat. Ubi poſt talem diſcurſum, cujuſdam Prælati, in noſtra Provincia, virtute, doctrinâ, & meritis conſpicui, probatus eſt mihi zelus, his verbis expreſſus: *Horum pauperum Colonorum libertas periclitatur, quandoquidem de ſervitute eorundem, per bonos Oeconomos jam tractatur: qui licet, invigilante moderno Reverendiſſimo Epiſcopo, extra periculum remaneant, in poſterum tamen, P P. nacti ſucceſſorem voto ſuo conniventem, exſequi curabunt, quòd ſemel apud ſe conſtituerunt. Magni verò, & ſupra omnes virtutes, apud Deum Meriti foret, ſi quiſpiam modum inveniret, ne prædictæ villæ Coloni, in miſerandam devenirent ſervitutem, &c.* Quorum ſecuritati, niſi evidenter autoritas Reverendiſſimi Præpoſiti Generalis conſuluerit, pauperes in perpetuo metu, deſtinatæ ſervitutis, manebunt, & interim plurimum expendunt, dum ſuæ libertatis, non modico ſumtu, quærunt defenſores. Quanquàm Reverendiſſimum D. Epiſcopum, & Venerabile Capitulum, credibile ſit, ſemper ſuis Privilegiatis auxilio affuturos.

247. Ex alia verò parte, non omnino eſt prædicta Relatio extra noſtram materiam, ut conſtet peregrinis, non parvi momenti Poloniæ villas eſſe, & hoc evidenter pateat, plus agri, plerumque

que apud nos in villa Colonos , quàm ipſum Dominum, poſſi- *p.77.*
dere ; & inde apparebit, quantum præjudicium , ad malam informationem S. Rotæ Deciſio, in noſtris partibus , Clero ſeculari attulerit , dum non ſolùm prædia Soc. ſed etiam agros talium Colonorum , quos innumerabiles poſſident , à ſolutione decimarum exemerit .-

Quam ſententiam, perſpectâ rei veritate,ipſam S. Rotam re- 248.
vocaturam , non dubitamus , ſi æquitatem, non ſolùm ex Iure noſtro, ſed vel ex ipſo Ethnico homine Seneca , perpendamus, qui illius ſupra-nominati Militis , diu cupiditatem perſtringendo, ita concludit: *Dabit tibi Philippus, quia promiſit, etiamſi non debet , etiamſi injuriam, etiamſi Scelus facturus eſt ? Non eſt levitas , à cognito , & damnato errore diſcedere , & ingenuè fatendum eſt. Aliud putavi: deceptus ſum ; Hæc verò ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt. Quod ſemel dixi , qualecunque eſt, fixum ratumque ſit. Non eſt turpe mutare conſilium.* Et infrà introducit Philippum , militi improbo dicentem, *Potiùs eſt,inquit, infra fines Regni mei,te literas iſtas, oculis inſcribendas, duriſſimâ fronte circumferre; oſtende,quàm ſacra ſit Menſa Hoſpitalis: Præbe in facie tua legendum Decretum,quod ſic erit magis ratum, quàm ſi illud in æs incidiſſem.* De Benef. lib. 4. c. 38.

Nos verò,cum non coram Philippo , ſed coram S. Sede Ro- 249.
mana Cauſam noſtram agamus,mitiùs contra Patres inſtamus, & poſitâ beneficiorum noſtrorum hac levi commemoratione , non ad characteres, non ad pœnam ingratitudinis properamus; hoc ipſo contenti , ſi Decimas noſtras , juxta Iura ſuperiùs deducta , in Curia Romana vindicemus. Aliàs verendum eſt , ne ſic oppreſſi Cleri injuria apud Rempub. efficiat , ut cum iſta deciſione Decimarum , in noſtris Generalibus Comitiis , idem fiat, quod non adeò pridem , jam feliciter regnante Uladiſlao , factum eſt cum aliis , in Cauſa Collegii Patrum Soc. cum Academia Cracovienſi.

 Et hæc ſalvo meliori Judicio, abſque cujuſvis injuriâ, ad publicam Cleri Poloniæ utilitatem, amicus Perſonarum, inimicus Cauſſæ.

IOANNES MARKIEWICZ.
I. U. D. Canonicus Poſnanienſis.

Hæc ſcripta ad publicam utilitatem emanata, ſi alicui, privati inhianti commodo, impugnare placuerit, & mihi ipſi hic animus non diſplicebit, quotidie aliquid diſcere cupienti, dummodo hic ſpiritus, non ſit merè ſcholaſticus, aut ambiguè Theologicus, hoc enim in caſu, Doctoris voce deciſivâ, non conſultivâ, opus eſt. Unde clarè, directè, & in forma juridicâ, reſponſurum mihi polliceor; cum ea cautione, ut nihil omnino à Moribus, & inſtitutis Patriæ recedatur. Quod ubi Autor impetraverit, & aliis favendum erit, ne ſtylus ſit peregrinus, neve prolixitate à legendo deterreantur, aut nimiâ ſubtilitate offendantur.

AUTHENTICA FACULTAS,

Præmiſſum opus, ubique locorum, imprimendi.

Annibal Melarius Iuriſconſultus, Patricius Senenſis, Protonotarius Apoſtolicus, & Illuſt^mi ac Reverend^mi D. Aſcanii Piccolominei de Aragona, Senarum Archiepiſcopi, in Spiritualibus, ac Temporalibus, Vicarius Generalis.

UNiverſis, & ſingulis, Majoribus debitam reverentiam, cæteris verò Salutem in Domino. Sempiternam fidem ſiquidem in verbo veritatis facimus, & atteſtamur, qualiter inſtante Perilluſt. & adm. R. D. Joanne Markiewicz, I. U. D. & Canonico Poſnanienſis Eccleſiæ, ut præmiſſa omnia viderentur, & maturè diſcuterentur, ad effectum reportandi opportunam facultatem, ea Typis mandandi. Quibus omnibus viſis, perlectis, & conſideratis, ipſi D. Canonico Joanni, per nos fuit id explendi impertita Licentia, prout etiam ab adm. R. P. Vicario

Ge-

Generali S. Officii hujus Civitatis, & ad robur propriis Manibus totum p.79. *firmatum, ut latiùs in anteriori facie videre eſt. Et quoniam, ut dictus Adm. R. D. Canonicus Joannes, coram nobis conſtitutus, aſſeruit, prævio Iuramento, tacto pectore, ad delationem infra-ſcripti noſtri Cancellarii, more Sacerdotali, diverſis ipſius urgentiſſimis negotiis, adſtrictus eſt recedere ab hac Senenſi Civitate, & dictum Opus hucuſque non fuerit, neque ſit impreſſum, & propterea coactus ſit illud ſecum deferre Manuſcriptum, ſimul cum foliis decimo quarto, decimo quinto, decimo ſexto, & decimo ſeptimo, quæ ſunt impreſſa, inque eis leguntur deciſiones S.Rotæ Romanæ, Coram, R.P. D. Cerro: ſuper negotio, de quo ſuprà. Cujus operis Paginæ, ſunt in totum Viginti octo, præſenti computatâ. Ideo ne dubitari contingat de Veritate præmiſſorum, inſtetit per nos ſibi fieri opportunam fidem, ad hoc, ut valeat, quibuſvis in locis, præmiſſa imprimi facere, prout fieri mandavimus, per Cancellarium noſtrum infraſcriptum, Sigillo Curiæ noſtræ munitam, & manu noſtrâ obſignatam. In quorum Fidem, &c.*

Datum Senis, in Curia Archiepiſcopali, hac die 2. *Martii.* 1643. *ab Incarnatione.*

HANNIBAL MELARIUS. Vicarius, Generalis Senenſis.
FRANCISCUS BARIUS. Notarius Cancellarius. De Mandato.

Locus ✠ Sigilli
Archiepiſcopalis.

Sententia de Præmiſſis Sorbonæ Pariſienſis.

NOs Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi, ſuper negotio (ab Illuſt. & Adm. R. D. Ioanne Markiewicz, I. U. D. & Canonico Poſnanienſis Eccleſiæ) propoſito, ſententiam dicere rogati, veritati Teſtimonium perhibentes: Quæ in hoc, ducentis quadraginta novem Numeris, diſtincto Codice, pro tuendo Iure decimarum nobiliſſimi Cleri Poloniæ, contra prætenſam Jeſuitarum Exemptionem, continentur. Ea Sacrorum Canonum Authoritate ſufficientiſſimè firmata, atque idoneis rationibus fulta cenſemus: ut meritò dictus Clerus, pro eodem Iure, poſſit legitimè agere, cum eandem Cauſam, iterum tractari, Juſtitia, æquitaſve patientur. Datum in Sorbona, die prima Menſis Junii, An. 1644.

JACOBUS HENNEQUIN. In Sacra Theologia Doctor & Lector Sorbonicus. M. P.

VALERIANUS DE FLAVIGNY. Doctor ac Socius Sorbonicus, Sacrarum Hebraïcarumque Literarum Profeſſor Regius. M. P.

FRANCISCUS FLEURY. Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor. M. P.

MARTINUS GRANDIN. Doctor & Profeſſor Sorbonicus. M. P.

LAUS DEO.